





**IMAGE EVALUATION  
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic  
Sciences  
Corporation**

23 WEST MAIN STREET  
WEBSTER, N.Y. 14580  
(716) 872-4503

1.8  
2.0  
2.2  
2.5  
2.8  
3.2  
3.6  
4.0

**CIHM/ICMH  
Microfiche  
Series.**

**CIHM/ICMH  
Collection de  
microfiches.**



**Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques**

10  
11  
12  
13  
14

**© 1985**

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- Coloured covers/  
Couverture de couleur
- Covers damaged/  
Couverture endommagée
- Covers restored and/or laminated/  
Couverture restaurée et/ou pelliculée
- Cover title missing/  
Le titre de couverture manque
- Coloured maps/  
Cartes géographiques en couleur
- Coloured ink (i.e. other than blue or black)/  
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- Coloured plates and/or illustrations/  
Planches et/ou illustrations en couleur
- Bound with other material/  
Relié avec d'autres documents
- Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/  
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/  
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- Additional comments:  
Commentaires supplémentaires:

- Coloured pages/  
Pages de couleur
- Pages damaged/  
Pages endommagées
- Pages restored and/or laminated/  
Pages restaurées et/ou pelliculées
- Pages discoloured, stained or foxed/  
Pages décolorées, tachetées ou piquées
- Pages detached/  
Pages détachées
- Showthrough/  
Transparence
- Quality of print varies/  
Qualité inégale de l'impression
- Includes supplementary material/  
Comprend du matériel supplémentaire
- Only edition available/  
Seule édition disponible
- Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/  
Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/  
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	14X	18X	22X	26X	30X
<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input checked="" type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
12X	16X	20X	24X	28X	32X

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



Législature du Québec  
Québec

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol  $\rightarrow$  (meaning "CONTINUED"), or the symbol  $\nabla$  (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Législature du Québec  
Québec

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole  $\rightarrow$  signifie "A SUIVRE", le symbole  $\nabla$  signifie "FIN".


Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

ACTA ET DECRETA  
QUINTI CONCILII  
PROVINCIAE QUEBECENSIS  
IN  
QUEBECENSI CIVITATE


ANNO DOMINI MDCCCLXXIII

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISATA ET RECOGNITA.



QUEBECI  
APUD P.-G. DELISLE, TYPOGRAPHUM  
1 PORT DAUPHIN  
1875



ACTA ET DECRETA  
QUINTI CONCILII  
PROVINCIAE QUEBECENSIS

ANNO MDCCCLXXIII

CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ELZEARO - ALEXANDRO TASCHEREAU

ARCHIEPISCOPO QUEBECENSIS

---

EDICTUM

CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS V QUEBECENSIS.

ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA,  
ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS.

*Reverendissimis Fratribus Nostris Episcopis, necnon Capitulis, aliis-  
que provinciæ Quebecensis Ecclesiasticis Viris, qui, de jure,  
vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse  
debent, Salutem in Domino.*

Cum Sacrosancta et Œcumenica Synodus Tridentina staturerit ut provincialia concilia quolibet saltem triennio pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, convocentur a Metropolitanis, hujusce provinciæ Quebecensis Patres in ultima sessione Concilii provincialis IV, anno 1868, non omiserunt statuere

proximum concilium habendum fore anno 1871. Sed cum illud locum habere non potuerit tum propter mortem decessoris nostri, tum propter longam absentiam Episcoporum qui anno præcedenti Concilio Vaticano adfuerunt, indultum nobis fuit a Sancta Sede, die 23 Aprilis 1871, ut provincialis Synodus non cogere nisi anno 1873.

Nos officio nostro, quantum in nobis est, satisfacere volentes, expetita prius Reverendorum Fratrum Nostrorum Eporum sententia, re mature perpensa, ac Sacro Nomine Domini invocato, ad majorem Dei Omnipotentis gloriam et Provinciæ Nostræ utilitatem, provincialem Synodum, in ecclesia nostra Metropolitana, Quebecensi celebrandam, indicere et convocare decrevimus, illamque in dicta ecclesia, dominica quæ incidit in diem decimam octavam Maii præsentis anni MDCCCLXXIII, incipiendam, ac postea usque in finem proseguendam, per præsentem litteras indicimus atque convocamus.

Quapropter Reverendissimos in Christo Fratres Marianopolitanum, Ottawiensem, Sancti Hyacinthi, Trifluvianum, atque Sancti Germani *de Rimouski*, Episcopos comprovinciales Nostros, eorumque coadjutores cum futura successione, capitula et alios quoscumque qui, de jure vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, hortamur, ac, in quantum opus est, mandamus atque præcipimus, ut ad prædictam Synodum, assignatis die et loco, conveniant, et personaliter compareant, nisi forte justo detenti fuerint impedimento, quod probare tenentur per procuratores ab ipsis legitime electos, qui eorum vices agant in Synodo.

De hac autem convocatione singuli Revmi Epi supra dicti monebunt suarum respective ecclesiarum cathedra-

lium Capitula, aliosque qui huic Synodo interesse tenentur de jure, vel de consuetudine.

Denique, Venerabiles Fratres, enixe vos obsecramus ut hanc Synodum in precibus et missis Deo Optimo Maximo commendetis Patri Omnipotenti *qui operatur in nobis velle et perficere*; Filioque ejus Domino Nostro Jesu Christo *sine quo* nihil possumus facere; et Spiritui Sancto *qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, ut nobiscum sit et nobiscum laboret*, ut mentes illuminet, corda succendat; utque nostra actio et operatio, bene incepta, bene et feliciter ad exitum perducatur ad majorem Dei gloriam et Provinciæ Nostræ utilitatem.

Datum Romæ, extra portam Flaminiam, sub signo sigilloque Nostro, ac infrascripti Vicarii Nostri Generalis vices Secretarii apud nos pro tempore agentis chirographo, die Epiphaniæ Domini Nostri Jesu Christi, anno millesimo octingentesimo septuagesimo tertio.

✠ E.-A., ARCHPUS QUEBECEN.


L. ✠ S.

*De Mandato Illmi ac Rmi*

*D. D. Archiepiscopi Quebecensis,*

THOS.-S. HAMEL, V. G.

*Secretarius ad hoc.*



## PARS PRIMA.

### ACTA

#### QUINTI CONCILII PROVINCIAE QUEBECENSIS.

---

##### PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, die decima septima Maii, hora nona ante meridiem, juxta decretum indictionis datum ab Illmo ac Revmo Elzearo-Alexandro Taschereau, Archiepiscopo Quebecensi, die sexta Januarii, in Epiphania Domini, anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo tertio, in aedibus palatii archiepiscopalis, cum praefato Illmo ac Revmo Archiepiscopo convenerunt ad quintum Provinciae Ecclesiasticae Concilium habendum.

Rmus D. D. Epus Marianopolitanus, Ignatius Bourget ;

Rmus D. D. Epus Ottawiensis, Joseph-Eugenius-Bruno Guigues ;

Rmus D. D. Epus Sti Hyacinthi, Carolus LaRocque ;

Rmus D. D. Epus Trifluvianus, Ludovicus-Franciscus Richer-Lafèche ;

Rmus D. D. Epus Sti Germani *de Rimouski*, Joannes Langevin ;

Rmus D. D. Epus Gratianopolitanus, Eduardus-Carolus Fabre, Coadjutor Marianopolitanus.

Legitur supradictum indictionis decretum.

Deinde legitur instrumentum delegationis Rmi Capituli Cathedralis Ecclesiae Marianopolitanae, quo deputa-

tur Rmus Canonicus Godefridus Lamarche, et admittitur, quod sic se habet :

1711: 11-11-11 / 11

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Per hoc præsens publicum instrumentum notum sit quod, Anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo tertio, die vero Mensis Martii sexta, a Reverendissimis Dominis Canonicis Josepho-Octavio Paré, Primicerio, Hyppolito Moreau, Archidiacono, Eduardo-Carolo Fabre, Theologo, Paulo Leblanc, Pœnitentiaro, Théodoro Plamondon, Stephano Hicks et Edmundo Moreau, ad infrascripta capitulariter congregatis, atque Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Marianopolitanæ facientibus et representantibus, Reverendissimus Dominus Canonicus Godefridus Lamarche electus fuit ut pro eis compareat, interveniat et assistat in Concilio Provinciali in Ecclesia Metropolitana Quebecensi, sub Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. Elzearo-Alexandro Taschereau, Quebecensi Archiepiscopo, ac in quibuscumque Congregationibus privatis et generalibus tam in Palatio Archiepiscopali Quebecensi quam in dicta Ecclesia Metropolitana et alibi servandis et tenendis, ac eorum votum dicat et ferat ac omnia alia faciat quæ præfati Reverendissimi Domini Canonici Constituentes facere possent si personaliter adessent.

Datum Marianopoli, die et anno quibus supra sub sigillo dictæ Cathedralis Ecclesiæ Capituli.

L. S.

De mandato Reymi Marianop.

Cath. Eccl. Capituli.

(Sign.) P. LEBLANC,

Can. Pœnit. Cap. Secrius.

Cura scribendi litteras conciliarias ad Summum Pontificem dirigendas committitur Rmo Epo Sti Hyacinthi. Episcopo vero Sti Germani remittitur confectio litterarum circa catholicas scholas Novi-Brunswickii ad Episcopos Sti Joannis et Chatham gerendas. Ab Episcopo Trifluriano conscribendas erunt litteræ ut aperiat mens Patrum erga Episcopos Germaniæ et Helvetiæ persecutivam patientes.

Illius et Rmus Archiepus, de consilio et consensu Rmorum aliorum Patrum, sequentes officiales ad dictum Concilium adjuvandum eligit et nominat, nempe:

1. Promotores:—admodum Reverendos Vicarios Generales Carolum-Felicem Cazeau et Carolum-Olivarium Caron;

2. Secretarios:—admodum Reverendum Vicarium Generalem Edmundum Langevin, et Revdum Carolum-Zachariam-Ilidium Collet;

3. Cæremoniæ Magistros:—Revdum Napoleonem Laliberté et Magistrum Cyrillum-Alfredum Marois;

4. Cantores:—Revdos Josephum Auclair et Antonium Racine.

Admittit quoque tanquam theologos et canonistas:

1. Illi ac Rmi D. D. Archiepiscopi:—admodum Revdos Thomam-Stephanum Hamel, Vicarium Generalem, Superiorem Seminarii Quebecensis, et Rectorem Universitatis Lavallensis, et Dominicum Racine, Vicarium Generalem, et parochum Sti Francisci-Xaverii vulgo *Chicoutimi*, et Josephum-David Déziel, parochum Nostræ Dominiæ *de Lévis*, et Benjaminum Pâquet, Sacræ Theologiæ Doctorem, necnon Decanum et Professorem facultatis theologiæ in Universitate Lavallensi.

2. Rmi D. D. Marianopolitani Episcopi:—admodum Revdum Josephum Desautels, Vicarium Generalem,

parochum Stæ Annæ, vulgo *Varennés*, et Revdum Isidorum Gravel, Vicarium Foraneum et parochum a Nativitate B. M. V. vulgo *Laprairie*.

3. Rmi D. D. Ottawiensis Episcopi :—Revdum Michaellem-Eduardum Méthot, majoris Seminarii Quebecensis præfectum, et Revdum Josephum Michel, Sti Pauli, vulgo *Aylmer*, parochum.

4. Rmi D. D. Sti Hyacinthi Episcopi :—admodum Revdum Josephum-Sabinum Raymond, Vicarium Generalem, ac Seminarii Sti Hyacinthi Superiorem, et Revdum Michaellem Godard, parochum Sti Hilarii.

5. Rmi D. D. Trifluviani Episcopi :—admodum Revdum Carolum-Olivarium Caron, Vicarium Generalem, et Superiorem Collegii Trifluviani, et Revdum Josephum-Herculem Dorion, Archipresbyterum, parochum a Sta Anna vulgo *Yamachiche*.

6. Rmi D. D. Sti Germani *de Rimouski* Episcopi :—admodum Revdum Edmundum Langevin, Vicarium Generalem, et Revdum Petrum Audet, Sancti Fabiani parochum.

7. Rmi D. D. Gratianopolitani Episcopi :—Revdos Josephum-Isidorum Graton, Superiorem Collegii *Masson*, et Josephum Séguin, parochum Sti Francisci-Xaverii, vulgo *Verchères*.

Juxta mentem S. Sedis expressam in litteris Emi Cardinalis Præfecti S. Cong. de Propaganda Fide diei 8 Julii 1852, super approbatione decretorum primi Concilii Quebecensis, placuit Patribus vocem consultativam tantum concedere Rmo Epo Gratianopolitano.

Omnes procedent et sedebunt ordine sequenti :

1. Archiepiscopus, Episcopi titulares, administratores, Coadjutores, Episcopi extranei, omnes secundum ordinem promotionis suæ ;

2. Procuratores Episcoporum ;
3. Deputati a capitulis juxta prioritatem promotionis suæ ;
4. Vicarii Generales Archiepiscopi, et dein alii ;
5. Superiores Seminariorum et Ordinum jam ad Concilium vocati ; in ordine antiquitatis domus suæ ;
6. Cæteri vero pro jure ordinationis, regulares post sæculares.

Proponuntur et admittuntur decreta legenda in prima Sessione : 1. De aperienda Synodo ; 2. De modo vivendi in Concilio ; 3. De professione fidei.

Quoad ordinem servandum : 1. ab omnibus qui interesse debent in Concilio ; 2. in privatis Congregationibus Episcoporum ; 3. in Congregationibus particularibus, statuunt Patres easdem regulas esse sequendas ac in primo Concilio, excepto quod missa conventualis quotidie habebitur hora octava.

Sequentes deinde ordinantur Congregationes :

*Prima de Decretis.*

Rmo D. D. Ottawiensi Episcopo præside :

Revd. D. D. Antonius Racine, Michael-Eduardus Méthot, Joseph - Isidorus Graton, Franciscus - Joseph Michel et Carolus-Zacharias-Illidius Collet.

*Secunda de Doctrina.*

Rmo D. D. Sti Hyacinthi Episcopo præside :

Rmus Godefridus Lamarche, admodum Revdi Joseph-Sabinus Raymond, Carolus-Olivarius Caron et Benjaminus Pâquet.

*Tertia de Liturgia.*

Rmo D. D. Episcopo S. Germani de Rimouski præside :

Revdi Joseph-David Déziel, Isidorus Gravel, Petrus Audet, et Napoleo Laliberté.

*Quarta de Disciplina.*

Rmo D. D. Episcopo Gratianopolitano præside :

Admodum Revdi Carolus-Felix Cazeau et Edmundus Langevin, et Revdi Joseph Auclair, Joseph-Hercules Dorion et Joseph Séguin.

*Quinta de Studiis.*

Rmo D. D. Trifluviano Episcopo præside :

Admodum Revdi Thomas-Stephanus Hamel, Dominicus Racine et Joseph Desautels, et Revdus Michael Godard.

Patres tamen has Congregationes instituendo, sibi reservant, ad majorem quæstionum expeditionem, facultatem cuilibet Congregationi materias nomini dictæ Congregationis haud convenientes, aliquando proponendi.

Dictis Congregationibus injungitur ut relationem faciant : 1° De titulo ; 2° de opportunitate ; 3° de textu uniuscujusque schematis, quod ipsis examinandum committitur et ut dictam relationem, statim ac completa fuerit, in scripto remittant uni ex promotoribus.

Respectivis Congregationibus remittunt sequentia decreta vel examinanda vel conscribenda :

*De Decretis.* Conscribendum decretum *de electionibus* et examinandum schema decreti *de perjurio.*

*De Doctrina.* Schema legis propositæ in foederali conventu (*la Chambre des Communes*) ut melius consulere-tur, ut aiunt, inscriptioni natalitiorum, matrimoniorum et decessuum, in toto *dominio* Canadensi.

*De Liturgia.* Liber cæremoniarum in minoribus ec-

clesiis servandam. — Decretum de facultate prædicandi et audiendi confessiones sacramentales. — Schema de casibus reservatis et eorum absolutione. — Schema proponendum de excommunicatione infligenda iis qui nubent coram ministris acatholicis.

*De Disciplina.* Schema legis de fabricis ecclesiarum. — Modus exhibendi quotannis accuratam accepti et expensi rationem in ecclesiis. — Articuli circa quos faciendæ sunt relationes Episcopo a parochis et missionariis.

*De Studiis.* Quæstiones ad Concilium directæ per S. Cong. de Propaganda Fide, circa petitam erectionem novæ Universitatis in civitate Marianopolitana. — Redactio decreti ad hunc finem ut Episcopis reservetur absolutio peccati illorum catholicorum qui pueros suos frequentare scholas protestantium sinunt.

Agitur inter Patres de erectione novarum sedium episcopalium.

Statuitur denique primam Congregationem generalem habendam eadem die, hora tertia.

Quibus peractis, dicitur oratio *Sub tuum*, et recedunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

### PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Conveniunt in Congregatione generali, eadem die, hora tertia post meridiem, in aula majori palatii archiepiscopalis, omnes Reverendissimi Episcopi, ad primam Congregationem privatam præsentem, rochetto et mozetta induti.

Adsunt quoque in habitu ordinario, Rmus deputatus a capitulo cathedralis ecclesiæ Marianopolitanæ, necnon et officarii et theologi Concilii, ad dictam Congregationem rite convocati.

• Archpus hymnum *Veni, Creator*, et orationem *Adsumus*, recitat, omnibus genuflexis et facie ad imaginem crucifixi versa; deinde Secretarius jubetur legere:

1. Instrumentum delegationis Rmi Canonici Lamarque, a capitulo cathedralis ecclesiæ Marianopolitanæ;

2. Nomina officialium qui in prima Congregatione privata a Patribus electi sunt;

3. Nomina theologorum et canonistarum ab unoquoque Episcopo selectorum;

4. Ordinem præcedentiæ in hoc præsentî Concilio servandæ, ut in quarto Concilio;

5. Elenchum diversarum Congregationum a Patribus ordinarum ut respective tractent quæ spectant ad decreta, doctrinam, liturgiam, disciplinam et studia;

6. Tria decreta quæ in Sessione prima sequenti die habenda, proclamabuntur scilicet: primum, *de aperienda Synodo*; secundum, *de modo vivendi in Concilio*, et tertium, *de professione fidei*;

7. Ordinem qui adhibitus est in præcedentibus Conciliis et qui, ad mentem Patrum, servandus est in præsentî, quoad residentiam, distributionem temporis præceptam omnibus qui Concilio interesse debent, et regulas in Congregationibus generalibus tenendas;

8. Promissionem ordinariam de secreto ab omnibus custodiendo, circa res in Concilio actas, et quæ possent detrudere vel reverentiæ Concilio debitæ, vel honori cujusvis personæ.

Dicta oratione *Sub tuum*, finem habet prima Congregatio generalis.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

SESSIO PRIMA.

Dominica V post Pascha, incidente in diem decimam octavam Maii, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres in aula majori, adest quoque infulatus Revmus Joannes Sweeny, Epus Sti Joannis, in Neo-Brunswickio.

Processionaliter per viam publicam ad metropolitana-m ecclesiam procedunt omnes; missam de Spiritu Sancto celebrat Rmus Archiepiscopus, et sermonem ad populum habet Revmus Epus Ottawiensis.

Post psalmum ac preces consuetas, Illmus Concilii præses sedet in faldistorio, et instant promotores ut aperiatur Concilium. De mandato igitur Revmi Archiepi, promulgantur a Secretariis et approbantur a Patribus :—

Primo, decretum *de aperienda Synodo*; et dein, instantibus iisdem promotoribus, decretum *de modo vivendi in Concilio*.

De suggestu leguntur nomina Patrum qui respondent: *Adsum*. Approbato decreto *de professione fidei*, a Secretario in ambone legitur professio fidei a S. M. Pio Papæ IV præscripta.

Tunc Illmus Archiepus, qui consecratus est ab ultimo Concilio, emittit professionem fidei, genuflexus ante altare; et postea sedens recipit juramentum Rmi

Episcopi (Gratianopolitani) nuper a se consecrati, illi porrigens librum Evangeliorum apertum supra genua, cum dicit genuflectens: "*Ego idem spondeo, voveo ac juro.*"

Postea ad instantiam promotoris, annuentibus Patribus, festum Ascensionis dominicæ pro secunda Sessione habenda indicitur, et Secretarii promittunt acta Sessionis hujus conficere.

Denique surgens Archiepiscopus, omnibus Synodali-  
bus benedictionem, una cum indulgentia, impertitus est, et cuncti eodem quo venerant ordine, mitra et plu-  
viali induti, ad domum archiepiscopalem redierunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

### SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria II, hora nona, ante meridiem, conveniunt Patres.

Leguntur et approbantur acta primæ Congregationis private, primæ Congregationis generalis ac primæ Sessionis.

Ab Episcopo Marianopolitano, assistente Episcopo Trifluviano, movetur quæstio de opportunitate discussionis in Congregatione *de Studiis* super responso dando a Patribus litteris S. Cong. de Propaganda Fide, circa Universitatem desideratam in civitate Marianopolitana.

Major pars Patrum opinatur ut, in præsentî casu, relatio Cong. *de Studiis* adducatur directe ad Congregationem Patrum, sed non ad promotores.

Statuitur missam *de Requiem* pro Præsulibus defunctis Provinciæ, celebrandam esse feria sexta post Ascensionem, hora nona cum dimidia.

Schemata *de temperantia*, et *de sede episcopali vacante* referuntur Congregationi *de Decretis*:—Decretum propositum super *luxu* eidem Congregationi mittunt Patres, cum instructione addendi textui theologicam definitionem *luxus*, demonstrandi “periculum in quo versantur fautores hujus plagæ, peccandi graviter contra “justitiam, caritatem et christianum spiritum.”

Cum ventum est ad schema *de Synodo diœcesana*, discussio orta inter Patres abiit in re derelinquenda pro præsentī.

Congregationi *de Doctrina* committuntur schemata: 1. *de scriptoribus catholicis*; 2. *de ephemeridibus*, una cum tertio fere coalescente in duos alteros, ut de toto sensum suum dicat.

Tunc in medio cœtus introducitur Revmus Epus Sti Joannis ut habeat verbum cum Patribus circa quæstionem scholarum catholicarum in sua provincia. Venerabili præsuli offert Archiepus exemplar litterarum quibus Patres ipsi et Epo Chathamensi, ejus collegæ, suam concordiam protestantur in angustiis circumstipantibus catholicos præsentī tempore in ista regione.

Dicta prece, finis Congregationi impositus est.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

## TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die habita, hora tertia.

Omnes adsunt Patres. Distribuuntur decreta inter Congregationes ut sequitur.

Schemata :—*De vocatione ad statum clericalem.*—*De obedientia quam sacerdotes præstare debent suis præsulibus.*—*Ut clerici de bono nomine curam habeant.*—*Ne clerici exercitio Medicinæ sese immisceant,* ad Congregationem *de Disciplina* mittuntur ;

Ad Congregationem *de Studiis*, schemata *de clericis*,—*et de catechesibus accurate instituendis* ; accedat in posteriori decreto adhortatio ut parochus ipsemet fungat munere catechizandi ; scholas' visitet cum consilio pedagogos incitandi ad recte obeundam functionem catechistarum, et pueros alliciendi ad magni faciendum instructionem christianam, memores se posse adjuvari in ministerio docendi, sed non complete suppleri a laicis.

Ad Congregationem *de Doctrina*, Schema *De liberalismo-catholico.*—Mens Patrum est ut inibi “ sese gratulari dicantur ex eo quod in Canada non sint communes prædicti errores ; indicenturque ut scuta adversus hanc luem studium erga Summum Pontificem, Episcopos et sanas doctrinas. ”

Ad eandem Congregationem.—Schema *de libertate ecclesiastica*, ita tamen ut, ultimis duobus paragraphis deletis, substituatur “ lætitia expressa ob majorem libertatis gradum adeptum ab Ecclesia in Canada quam in ullo terræ loco, simul ac spes et desiderium ut plenam et perfectam libertatem deinceps possideat, faventibus gratiosis civilibus ministris et reipublicæ ducibus. ”

Schema *de Sacrosancto Concilio Vaticano et de Ro-*

*mani Pontificis infallibili Magisterio, ad Congregationem de Doctrina.*

Ad Congregationem vero *de Liturgia*:—Schema *de sacris oleis*; addito mandato ut custodiantur in bene obseratis claustris.—Schema *de invocatione et veneratione B. M. Virg. Immaculatæ*; voluerunt Patres adjicere “precem ad Deiparam ut supplicaretur immaculato pede suo conterere luxum, intemperantiam, perjurium, “liberalismum et indifferentismum.”

Mandatur ut Congregatio *de Decretis* interjiciat in decreto *de luxu* exhortationem “ut in bona opera, elemosynas, et pauperum necessitates effluat abundantia divitiarum quæ sæpe in superfluitatem et luxum et intemperantiam abeunt.”

Admittuntur tandem schemata:—*De publicatione Decretorum hujus Synodi provincialis*;—*De indictione futuri Concilii provincialis*, celebrandi anno septuagesimo sexto;—*De fine Concilii, et de subscriptione*, quæ proclamabuntur in ultima Sessione.

Recitata prece *Sub tuum* abeunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

#### QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita feria III, hora nona ante meridiem.

Conveniunt Patres, et interim Rmus Epus Sti Joannis Novi-Brunswickii, illis communicat nuntium quo declaratur voluntas Gubernii fœderalis postulandi Comitum (*la Chambre des Communes*) ut erogent summam ne-

cessariam expensis solvendis propter appellationem ad privatam Concilium Reginæ (*le Conseil privé de Sa Majesté*) circa legem latam a Legislatura Novi-Brunswickii in detrimentum catholicarum scholarum.

Quapropter suffragiis concordibus Patres significant in scriptis et per nuntium telegraphicum suam sententiam non progrediendi ulterius in præsentiarum, attendita ministrorum actione quæ aliquantulum videtur favore catholicorum appellationi ad dictum privatam Concilium Reginæ.

Leguntur acta secundæ et tertiæ Congregationum privatarum.

Statuitur Congregationem generalem convocandam esse hora tertia post meridiem.

Rmus Epus Sti Hyacinthi ante cœtum proponit erectionem diœcesis coalescendæ ex partibus diœcesium Quebecensis, Trifluvianæ et Sti Hyacinthi. Accedunt Rmi Archiepiscopus et Trifluvianus Epus, qui sequens territorium cedere consentiunt ad novam diœcesim formandam, scilicet :

Ex archidiœcesi (\*) :—

Loca (*townships*) nuncupata *Wolfestown* (in Comitatu *Wolfe*), *Spalding* et *Ditchfield* (in Comitatu *Beauce*) ;

Ex diœcesi Sti Hyacinthi :—

Loca (*townships*) nuncupata *Stukely*, *Ely*, (in Comitatu *Shefford*), *Melbourne*, *Brompton* (in Comitatu *Richmond*), *Orford*, *Ascot*, *Hatley*, *Magog*, *Stanstead*, *Barnstown* et *Barford* (in Comitatu *Stanstead*), *Eaton*, *Clifton*, *Compton*, *Hereford* (in Comitatu *Compton*), *Bolton*, *Sutton* et *Potton* (in Comitatu *Brome*) ; exceptis

(\*) In appendice videatur epistola Revmi Archiepiscopi, in qua aliqualis modificatio postulat, quæ a S. C. admissa fuit, ut ex brevi erectionis patet.

tamen dictorum *Townships* partibus quibusdam quæ intra limites Sti Hyacinthi diœcesis inclusæ remanebunt, scilicet: 1. parte *Ely* quæ intra limites parœciæ a S. Joanne-Baptista a *Roxton* continetur; 2. parte *Stukely*, quæ intra limites parœciæ S. Bernardini a *Waterloo* continetur; 3. parte *Bolton* quæ intra limites parœciæ Sti Eduardi a *Knowlton* includitur.

Ex diœcesi Trifluviana:—

Loca (*townships*) nuncupata *Shipton, Cleveland, Windsor* et *Stoke* (in Comitatu *Richmond*), *Wotton, Ham, Dudswell, Weedon, Garthby* et *Stratford* (in Comitatu *Wolfe*), *Westbury, Newport, Auckland, Bury, Lingwick, Winslow, Whitton, Marston, Hampden, Ditton, Chesham, Clinton, Emberton* et *Woburn* (in Comitatu *Compton*).

Declarat Epus partem supradictam diœcesis Sti Hyacinthi incolæ a 16,843 catholicis et 28,737 acatholicis, comprehendere viginti parœcias, et decem et septem ecclesias, inter quas majorem in civitate *Sherbrooke* erectam, ubi et existit domus pro futuro episcopo, et alia domus pro monialibus. Quæ omnia orator gratis dabit novo Episcopo, et ex pecuniis quæ in diœcesi Sti Hyacinthi colliguntur ad Propagandam Fidem sibi reservabit solummodo quartam partem, et reliquas tres partes novo Episcopo, quandiu Provinciale Concilium judicabit, (si placuerit Sanctissimo annuere precibus Patrum) derelinquet.

Episcopus Trifluvianus promittit se daturum quatuorcentum scutos (*piastres*) vel quartam partem pecuniæ sibi concessæ ab opere pro propaganda Fide (*Œuvre de la Propagation de la Foi*) in favorem novæ diœcesis.

Episcopus Sancti Hyacinthi, dum de animarum salute et religionis honore et augmento sollicitus, proposuit erigi diœcesim Sherbrookensem, nullatenus in mente

habebat quod Trifluvianus Episcopus pro suæ diœcesis parte in nova diœcesi comprehendenda, limites aut fines assignandos proponere posset quos absolute proponere perseverat. Episcopus S. Hyacinthi contra hos fines, sic a Revmo Trifluviano propositos, licentiam a Revmis Synodi Patribus petit protestandi, quia hi fines locorum dispositioni seu topographiæ repugnant, si attendatur relationi distantiarum et communicandi viis aut copiis inter duas episcopales civitates, Trifluvianam scilicet et Sherbrookensem; et gravibus expensis et oneri quæ pro attendenda dicta, e Trifluviana diœcesi distracta, parte sustinenda habebit futurus Sherbrookensis Episcopus.

Desiderat multum tamen Sti Hyacinthi Episcopus hanc suam protestationem nullam novæ erigendæ diœcesi moram afferre, cum sibi videatur urgere expetita diœcesis illius erectio. Mens ejus est ita protestando ut futuro Sherbrookensi Episcopo jus reservetur repræsentandi contra sic assignandos novæ diœcesi fines, si ipsi ita repræsentare opportunum et etiam justum videatur.

Archiepiscopus ipse transferre quamdam partem loci qui nominatur *Ireland* ex archidiœcesi in diœcesim novam opportunum putat, ut parœciæ S. Juliani territorium sufficiens competat.

Declarat quoque Epus Trifluvianus se paratum esse cedere archidiœcesi partem suæ diœcesis nuncupatam *Adstock* (in Comitatu *Beauce*); et Archieppus ex altera parte desiderat ut Sanctissimo supplicetur ad quamdam partem vallis fluminis Sti Mauriti ex archidiœcesi Quæbecensi dismembrandam, et ad Trifluvianam diœcesim adjungendam; id est: ea pars vallis fluminis Sancti Mauriti, quæ sita est in Comitatu vulgo *Portneuf*, ad septentrionem lineæ quæ a Comitatu dicto *Champlain*

procedit ad Comitatum dictum *Québec*, hoc modo: 1° limes septentrionalis domini (*seigneurie*) vulgo *Gron-dines*; 2° limes septentrionalis loci (*township*) vulgo *Chavigny*; 3° pars limitis occidentalis domini vulgo *Perthuis* et deinde limes septentrionalis ejusdem domini prolongatus usquedum intersecat flumen dictum *Batiscan*; 4° flumen *Batiscan* et ramus ejus præcipuus septentrionalis usquedum intersecat limitem inter Comitatum *Portneuf* et Comitatum *Québec*.

Oratione recitata, exeunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

## SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die habita, hora tertia post meridiem.

Loco solito intersunt Patres cum theologis et officariis Concilii.

Ab uno Secretario legitur relatio primæ Congregationis et ordo præcedentiarum.

Tunc promotores se sistunt cum relationibus Congregationum:

1. *De Doctrina*; circa schema legis respicientis census capitum et civilium actuum, seu natalitiorum, matrimoniorum et decessuum in toto dominio stabilientiam;—et circa schema decreti *de Sacrosancto Concilio Vaticano et de Romani Pontificis infallibili Magisterio*, quod legitur plaudentibus omnibus.

2. *De Liturgia*; super schematibus: *De casibus reser-*

vatis et eorum absolutione ;—ac *De facultate prædicandi et audiendi confessiones sacramentales.*

3. *De Disciplina* ; circa schema legis fabricarum ecclesiarum ; et super schematibus : *De utriusque sexus religiosis* ;—*De vocatione ad clericalem statum, et—Ut clerici de bono nomine curam habeant.*

4. *De Decretis*, circa electiones et super schemate de perjurio.

Quæ omnia a promotoribus leguntur exceptis legibus propositis pro censu natalitiorum, matrimoniorum, decessuumque, et pro fabricis ecclesiarum.

Aliqua discussione habita et dicta prece, omnes discedunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

#### QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die habita, hora secunda post meridiem.

Adsunt Patres.

Leguntur relationes quartæ Congregationis privatæ et secundæ generalis.

Prima emendatur et utraque approbatur.

Rmus Archieppus legit litteras ad se missas a Rectore et Concilio Universitatis Lavallensis duo petita continentes :

1um, ut instituatur inquisitio super falsis doctrinis quæ ipsi imputantur.

2um, ut Episcopi sese constituent in tribunal ad quod errores de quibus criminaretur Universitas possent denuntiari et examinari quoquo tempore.

Super hoc Episcopi Marianopolitanus et Trifluvianus, qui admittunt se fuisse denuntiatores Universitatis apud Sanctam Sedem, declarant se nullam protulisse accusationem contra eamdem Universitatem, nec nunc proferre, nisi de præsentia professorum *acatholicorum et liberorum muratorum*, quæ in sua opinione suspectam reddebat ipsorum doctrinam in docendo.

Episcopus Trifluvianus præparabit seriem quæstionum super quibus Universitas interrogabitur.

Legit Archiepiscopus petitionem ad S. Sedem dirigendam ut locus appellatus nunc *Adstock* declaretur comprehendi in diœcesi Quebecensi quamvis locus, eodem nomine notus, existeret in diœcesi Trifluviana, cum erecta fuit anno 1852.

Meridie, Patres precem dicunt et abeunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

### TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Habita feria IV, hora secunda post meridiem.

Leguntur schemata *de Sacrosancto Cordi Jesu totius provinciæ Quebecensis consecratione* ;

*De catholicis scriptoribus, et de ephemeridibus.*

Discussio oritur inter theologos super duos titulos in Congregatione *de Doctrina* propositos ; sed vix videtur existere opinionum divergentia quoad principia et oportunitatem citandi auctoritates allatas.

Dein leguntur schemata : *De obedientia quam sacerdotes præstare debent suis præsulibus* ;

*De catechesibus accurate instituendis.*

Sensus ultimo huic schemati contrarius exprimitur ; alter eidem favet.

Tandem sine discussione legitur schema *De invocatione et veneratione B. M. V. Immaculatæ.*

Et prece dicta, exeunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

### SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita feria IV, hora quinta cum quadrante post meridiem.

Legitur et admittitur relatio Congregationis *de Disciplina* :—*Super obedientia quam sacerdotes debent præstare suis præsulibus.*

In schemate *Ut clerici de bono nomine curam habeant* adduntur verba “ et tantæ sobrietatis ” et delentur omnia verba ad calcem inter “ oblata ” et “ ne ” ; et sic emendatum admittitur.

Ad Cong. *de Decretis* defertur schema de *Sacro-sancto Concilio Vaticano et de Romani Pontificis infallibili Magisterio*, ut in paragrapho tertio inserantur tituli utriusque Vaticanæ Constitutionis.

Lecto schemate *de vocatione ad statum clericalem*, verba “ in directione spirituali ” substituuntur loco verborum “ ad sacrum tribunal, ” et delentur verba quæ ad calcem veniunt post verbum “ abundantia. ”

Examinatur relatio de *invocatione et veneratione B. M. V. Immaculatæ* ; approbatur invocatio addita de

mandato Patrum et post verbum "indifferentismum," adjiciuntur sequentia "omniaque alia errorum monstra " ubique grassantia. "

Discussa relatione *de catechesibus*, non admittitur schema in præsentī forma ; malunt Patres recordare in decreto præscriptiones præteritas et mandatum ab Episcopis Provinciæ editum anno 1852. Incipit discussio super schemate *de facultate prædicandi*..... et, adveniente sexta hora, indicantur hora secunda cum dimidia pro Congregatione privata tenenda postridie, et dominica sequens pro ultima Sessione publica, nisi temporis defectu commode fieri non possit.

Exeunt Patres, prece recitata.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

### SESSIO SECUNDA.

In Ascensione Dominica, hora nona, convenerunt Patres, eademque solemnitate ac in prima Sessione per viam publicam perrexerunt ad metropolitanam ecclesiam.

Missa solemnī diei celebratur a Reverendissimo Epo Sti Hyacinthi, et sacram concionem Rmus Epus Gratianopolitanus habet ad populum.

Sequentia decreta, comitantibus consuetis solemnitatibus, edicuntur et proclamantur :

*De Sacratissimo Cordi Jesu totius Provinciæ Quebecensis consecratione ;*

*De invocatione et veneratione B. M. V. Immaculatæ ;*

*De Sacrosancto Concilio Vaticano et de Romani Pontificis infallibili Magisterio ;*

*De obedientia quam sacerdotes debent præstare suis præsulibus ;*

*Ut clerici de bono nomine curam habeant ;*

*De vocatione ad clericalem statum.*

Dominica proxima indicitur pro tertia et ultima Sessione, nisi temporis defectu commode fieri non possit hac die.

Solemni benedictione ab Illmo Archiepo impertita et quadraginta dierum indulgentia publicata, per viam privatam ad aulam archiepiscopalem redeunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

### SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita feria V, hora secunda cum dimidia post meridiem.

Urget Archiepiscopus denuo Epum Marianopolitanum ut ad Congregationem *de Studiis* transmittat documenta et responsa de Universitate nova circa cujus futuram erectionem inquit S. C. de Propaganda Fide, et queant theologi ea componere factis ab Universitate Lavallensi allegatis.

Promittit Epus Marianopolitanus documenta se præstiturum propediem.

Legitur et approbatur schema *de catechesibus*.

Discussio instituitur super schemate *de catholicis scriptoribus*, et novæ instructiones mittuntur Congrega-

tioni *de Studiis* ut schema novum præparetur ad mentem.

Derelinquuntur schemata *de facultate prædicandi et absolvendi et de utriusque sexus religiosis.*

Emendatur et admittitur schema *de casibus reservatis.*

In titulo schematis *de perjurio* additur verbum *reservando*, et decretum admittitur, Rmo Archiepiscopo et duobus opinantibus contra limitationem reservationis in perjurio juridico.

Recitata prece, abeunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

### OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita hora undecima ante meridiem, feria VI.

Revmus Archieppus missam solemnem *de requiem* celebravit hodie, præsentibus aliis Patribus et theologis, pro defunctis Archieppis et Episcopis Provinciæ, et dein incepit Congregatio privata.

Congregatio *de Decretis* jubetur præparare schema *de electionibus.*

Legitur relatio Congregationis *de Studiis* super schemate *de clericis*; et admittitur decretum substituendo verba "adhortatur" et "presbyter" loco verborum "vult" et "diaconus."

Schema:—*Ne clerici exercitio Medicinæ sese immisceant*, admittitur ita tamen ut penultimus paragraphus sic concludatur: "nunc autem rarissime invocari potest, et tunc petenda erit licentia ab episcopo."

Legitur relatio Congregationis *de Liturgia* super *scholis acatholicis*, et jubetur decretum præparari quod renovet præscriptiones primi Concilii Provincialis et admittat quamdam exceptionem ab Episcopis pronunciari posse in casu particulari propter impossibilitatem scholas separatas stabiliendi.

Instructio mittitur Congregationi *de Decretis* ut redigat decretum secundum ipsius relationem *de temperantia*. Supplicabunt Patres a SSmo ut impertiatur indulgentias societati temperantiæ ter vel quater in anno lucrandas.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

#### QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Habita eadem die, hora tertia post meridiem.

Leguntur relatio præcedentis generalis Congregationis, et schemata *de catechesibus*; — *de clericis*; — *Ne clerici exercitio Medicinæ sese immisceant*; — et *De liberalismo-catholico*.

Discutitur relatio Congregationis *de Doctrina* quæ proposuerat duos modos exprimendi hunc errorem non esse communem in hac ecclesiastica provincia. Hinc et inde argumenta exponuntur quibus fulciuntur opiniones, aliis affirmantibus calumnias multas editas et evulgatas fuisse in folliculis et ephemeridibus, ut patet ex scriptis in Congregatione lectis; alio vero declarante errorem latere in multorum mentibus, in legibus, in civilis gubernii ministrorum plurium actis.

Schemata *de luxu, de sacris oleis, et de temperantia*, una cum relationibus Congregationum, leguntur sine discussione, salvis observationibus quibusdam ad accuratius exprimendam mentem Patrum.

Oratione dicta, exeunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius

### NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita sabbato, hora nona ante meridiem.

Communicat Rmus Archieppus cum aliis Patribus litteras Rectoris Lavallensis Universitatis offerentes syllabum criminationum contra dictam Universitatem allatarum, quas circa se paratum esse respondere declarat, si ita placuerit Patribus.

Acceptatur propositio Rectoris, renuentibus vero Epis Marianopolitano et Trifluviano.

Admittitur decretum *de catechesibus*.

Legitur schema *de catholicis scriptoribus*. Primo admittitur exordium a Congregatione *de Doctrina* suggestum; suadente Epo Sti Germani, introducitur extractum e decreto quodam Concilii Plenarii Baltimorensis, et schema remittitur eidem Congregationi ut decretum perficiatur.

Admittitur correctio Congregationis *de Decretis* in schemate *de sede episcopali vacante*. Suggestente Epo Sti Germani adduntur verba "donec de Capitulis provideantur," ante verbum "approbare" in primo paragrapho, et verba "vel habebunt" post verbum "habent" in penultimo paragrapho.

Super schemate *de liberalismo* proponit Epus Marianopolitanus ut relatio Congregationis *de Doctrina* non adoptetur, sed Allocutio SSmi ad Circulum Milani sine præambulo publicetur in actis Concilii. Major pars admittit decretum præparatum a Congregatione, cum emendatione unanimiter redacta.

Acceptantur item correctiones indicatæ in relatione Congregationis *de Decretis* super schemate *de electionibus*, et in relatione Congregationis *de Liturgia* super schemate *de sacris oleis*.

Schema *de luxu* sine menda videtur et admittitur prout a Congregatione propositum.

In schemate *de scriptoribus catholicis* verbum "catholici" ponitur inter "omnes" et "qui"; verba "incidat vel" ante verbum "inciderit"; verba "data occasione" post verba "adhortari ut"; verba "præsertim quando" ante verba "quæstiones arduas"; denique sententia ultima deletur.

Novum schema *de temperantia* admittitur.

In schemate cui titulus *de excommunicatione* IPSO FACTO *lata contra eos qui, ad matrimonium contrahendum, coram acatholico ministro se sistunt*, delentur verba primi paragraphi a verbis "si vero" usque ad finem; et in secundo paragrapho verba "vel presbytero a Nobis delegato." Verbis vero "Quasi modo" substituuntur verba "in Albis."

Mandant Patres ut mentio istius excommunicationis et reservationis fiat in decreto *de casibus reservatis*.

Incipit discussio schematis *de scholis acatholicis*; et meridie, prece dicta, finitur Congregatio.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

## QUINTA CONGREGATIO GENERALIS.

Habita eadem die, hora secunda post meridiem.

Leguntur relatio quartæ Congregationis et relatio Congregationis *de Doctrina* super schemate *de libertate Ecclesie*.

Insinuatur a Congregatione utilitas edendi sub auctoritate Patrum, librum summarium de hac materia, ut adoptaretur in collegiis, gymnasiis, academiis et cæteris. Plura opera indicantur e quibus possint extrahi præcepta et principia, inter quæ tractatus a P. Palmieri editus.

Occasione documentorum ab Epo Marianopolitano et ab Universitate Lavallensi communicatorum Congregationi *de Studiis*, Rector Universitatis hujus argumenta affert ut probet duo, scilicet: illam esse provincialem, et consequenter jura ineluctabilia possidere; novæ institutionem Universitatis catholicæ in Provincia faciliores condiciones offerentis, causam fore cur ex necessitate silerent cursus Lavallenses. Quærimoniæ habitæ sunt ab uno theologo de periculo nimie libertatis cui exponitur catholici alumni in proposita Universitate, ex notis dispositionibus ejus fautorum.

Leguntur schema:—*De excommunicatione IPSO FACTO lata contra eos qui, ad matrimonium contrahendum, coram acatholico ministro se sistunt*;—et relatio Congregationis *de Disciplina* super articulis de quibus componere debent parochi annuam relationem de statu animarum, etc.

Rinus Archieppus indicat feriam tertiam proximam ad ultimam Sessionem.

Prece recitata, discedunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

## DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita eadem die, hora quinta post meridiem.

Continuatur examen schematis *de scholis acatholicis*, et ad calcem additur sequens paragraphus: "Prohibemus ne quis liberos suos ad tales scholas mittat. Si tamen propter aliquam locorum et temporum circumstantiam hoc videatur necessarium et constet nullum esse perversionis periculum, omnino requiritur Episcopi licentia."

A Patribus dies 22 Junii proximi eligitur ut consecratio fiat Sacratissimo Cordi Jesu, et dominica post festum idem ut deinceps renovetur quotannis eadem consecratio. Ad hoc vertetur in vernaculam linguam consecratio in decreto contenta et in *Appendice Ritualis* inseretur.

Legitur schema *de libertate Ecclesie* admissum a majori parte Congregationis *de Doctrina*.

Ne autem in doctrina multis difficultatibus obvexia, de libertate Ecclesie et ejus relationibus cum potestate civili, error subrepat, sive quoad præcepta, sive quoad eorum applicationem, optandum putant Patres ut edatur de hac materia liber summarius, ab Episcopis recognoscendus, et adoptandus ut manuale in collegiis, gymnasiis, academiis, etc.

Legitur et admittitur schema *de excommunicatione IPSO FACTO lata contra eos qui, ad matrimonium contrahendum, coram acatholico ministro se sistunt*.

Hujus reservationis mentio fiet, ex mandato Patrum, in decreto *de casibus reservatis*.

LECTA relatione Congregationis *de Doctrina* super proposita lege censuum (*loi des statistiques*), ad hanc propositionem deveniunt Patres ut gubernio civili insinue-

tur modus æquivalens, id est, concordantia inter fœderalem et localem civiles administrationes ad procuranda, pro usu Confœderationis, apographa regestorum rite exaratorum singulo anno in Provincia Quebecensi.

Prece[m] recitant Patres et abeunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

### UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita dominica, hora secunda post meridiem.

Leguntur relationes nonæ Congregationis privatæ et quartæ Congregationis generalis.

Suadente Rmo Archieppo deliberant Patres de petitione ad SSmum ut pro Quebecensi Provincia festum Stæ Annæ elevetur ad ritum secundæ classis cum octava et solemnitate in dominica proximiori celebranda.

Instituitur discussio de responsis a Concilio præparandis ut satisfiat litteris Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, super proposita ab Epo Marianopolitano novæ Universitatis erectione in sua episcopali urbe.

Legitur relatio Congregationis *de Disciplina*, super lege fabricarum ecclesiarum ; et statuitur hoc schema discutendum esse primo in quavis diœcesi a presbyteris idoneis, quorum relationes ad Revmum Archiepiscopum mittentur, et dein a Congregatione communi coalescente sex canonistis ex quaque diœcesi uno ab ejus Episcopo delegato, ita ut Patres ipsi apud metropolim coadunati proximo mense Octobri, queant animadversiones comparare.

Approbantur litteræ ad Episcopos Germaniæ et Helvetiæ mittendæ.

Patres subsignant petitionem qua postulant a SSmo ut locus (*Township*) *Adstock* declaretur pertinere ad Archidiocesim Quebecensem.

Dicta prece, finis imponitur Congregationi.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

#### DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita feria II, hora nona ante meridiem.

Lecta relatione præcedentis Congregationis, Epus Sti Hyacinthi desiderium exprimit ut non memorentur in supplici libello Patrum ad SSMum dirigendo de erectione novæ diœcesis *Sherbrooke*, animadversiones a se in Congregatione privata quarta expositæ nec replicatio Rmi Epi Trifluviani.

A Patribus subsignantur conciliares petitiones *de erectione dictæ novæ diœcesos* (*Sherbrooke*) *et de evectione festi Stæ Annæ ad ritum 2æ classis*, etc.

Legitur folium responsionum Universitatis Lavallensis ad quasdam quæstiones quæ, in nona Congregatione privata, circa ejusdem Universitatis doctrinam positæ fuerant. Rogante ipsa Universitate, discutiuntur, deinde acceptantur ut plane satisfaciens et ad Sanctam Sedem transmitti mandantur; item theses dogmaticæ et morales in eadem Universitate pro examine ad Lauream theologicam, annis 1870-71-72 et 73.

Deinde tractatur inter Patres quæstio seligendi tres

personas Sanctæ Sedi commendandas pro nova sede  
*Sherbrooke.*

Precem recitant Patres et abeunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

### DECIMA TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Habita feria II, hora tertia post meridiem et continuata hora octava cum quadrante.

Legitur relatio Congregationis præcedentis et assentiunt Patres opportunitati admonendi populum, in pastorali littera quæ jam apparata est, Universitatem Lavallensem dissolvisse omnia argumenta accusationum adversus doctrinam suam allatarum.

Legitur, admittitur et subsignatur Epistola ad SSmum.

Responsiones Patrum super quæsitis S. C. de Propaganda Fide, de nova Universitate ab Epo Marianopolitano desiderata, leguntur. Facta relata admittuntur, sed Episcopi Marianop., Trifluvian., et Gratianop., cum aliis non consentiunt dum opinio exprimitur quæ videtur favere juribus Lavallensis, vel adversari propositæ novæ Universitati Marianopolitanæ, vel consulere compromisso faciendo inter Episcopum Marianopolitanum et Universitatem Lavallensem.

Omnes tamen unanimiter dicunt studia non esse deprimenda nimia facilitate.

Discutitur inter Epos Marianop., et Sti Hyacinthi quæstio de certo territorio disputato, ob obscuritatem descriptionis in Brevi erectionis contentæ.

Nominatur commissio trium sacerdotum qui causam examinabunt post Concilium, et seliguntur Domini Carolus-Felix Cazeau, Jos.-David Déziel et Antonius Racine, qui relationem Rmo Archieppo submittent.

Prece dicta, abeunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.

---

### TERTIA ET ULTIMA SESSIO.

Feria III, solemniter, sed per viam privatam ob intemperiem aeris, se conferunt Patres ad ecclesiam metropolitanam. Celebrat Revmus Epus Sti Germani *de Rimouski* missam de Immaculata Conceptione B. M. V., et postea cantantur psalmus et hymnus *Veni, Creator*, ut in libro cæremoniali præscribitur.

Promotores instant ut promulgentur decreta a Patribus edita a præcedenti Sessione.

Secretarius ascendit ambonem postquam recepit reverenter decreta e manu Archieppi, et eorum titulos legit, ut sequitur :

1. *Ne clerici exercitio Medicinæ sese immisceant.*
2. *De clericis.*
3. *De catechesibus.*
4. *De casibus reservatis et eorum absolutione.*
5. *De perjuriis reservando.*
6. *De sacris oleis.*
7. *De sede episcopali vacante.*
8. *De luxu.*
9. *De electionibus politicis et administrativis.*

10. *De temperantia.*
11. *De scholis acatholicis.*
12. *De iis qui, ad præstandum matrimonialem consensum, coram acatholico ministro se sistunt.*
13. *De scriptoribus catholicis.*
14. *De liberalismo catholico.*
15. *De libertate Ecclesiæ ejusque cum potestate civili relationibus.*

Tunc petunt promotores ut Revmi Episcopi et alii qui, de jure vel consuetudine, Synodo interesse tenentur, nominatim vocentur.

Unus e secretariis nomina vocat ; præsentés respondent : *Adsum*, et pro absentibus excusatio præsentatur.

Promotores mox instant ut edatur decretum *subscriptionis* ; quo facto, omnes Patres, ascendentes ad altare cum mitra, signant decreta.

Convocatio proximæ Synodi denuntiatur pro anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto, et ad instantiam promotorum proclamatur decretum *de fine Concilii*.

Cantatur hymnus *Te Deum*, postquam sermonem habuit lingua latina Rmus Archieppus ad Patres Concilii et Clerum, et omnia concluduntur acclamationibus consuetis.


Osculum pacis dedit Archieppus cuique Patrum et hi mutuo, alter ad alterum, pacem exoptant.

Præses benedictionem solemnem impertitur cum indulgentia quadraginta dierum, et concluditur solemnitas Synodi verbis diaconi : *Recedamus cum pace*, omnibus respondentibus : *In nomine Christi*.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secrius.



# DECRETA

QUINTI CONCILII PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ QUËBECENSIS.

---

## DECRETUM I.

*De aperienda Synodo.*

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris  
et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Elzearus-Alexander Taschereau, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei, et Salvatoris Nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostræ; sub tutela et præsidio Matris ejus B. Mariæ Virginis, Sancti Petri, Apostolorum principis, sanctorum quorum patrocinio nostræ ecclesiæ cathedrales et dioceses muniuntur, atque omnium sanctorum, statuimus ac decernimus, de consensu ac consilio Rmorum Episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die decima octava Maii inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus; Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter deprecantes ut quod cœpit ipse perficiat ac quæcumque ad nostram, clerique et populi ædificationem stabilienda cognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

## DECRETUM II.

*De modo vivendi in Concilio.*

Hæc Synodus provincialis, a B. Apostolo edocta quod "*omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,*" qui eis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, statuit omnes christifideles hujusce civitatis Quebecensis quorum sicut et totius Provinciæ gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hæcenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, piis operibus instare, ad sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ frequentius accedere, et quotidie pro Episcopis et Sacerdotibus hic legitime congregatis, instanter orare velint; eosdem vero Episcopos et Sacerdotes ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum missæ sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro Ecclesia Sancta Dei, pro SSmo Patre Nostro Pio Papa IX, pro Regina nostra, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Præterea hortatur illos ut jejument singulis sextis feriis, in memoriam Passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino ut otiosas sermocinationes sedulo devitent, vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate omniumque virtutum ornamento præfulgeant, ita ut in omnibus honestatem

præ se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem Synodi provincialis scopus est, ut sacra Conciliorum Summorumque Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adjectis quibusdam, si opus est, explicationibus; ita tamen ut non recedatur unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, cæterarum ecclesiarum matris ac magistræ.

In sententiis vero dicendis nullus audeat aut immodicis verbis perstrepere, aut tumultibus perturbare, variisve et obstinatis disceptationibus contendere; sed omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam publicis; ac ita quidquid dixerint, miti verborum prolatione temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta iudicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa Synodus decernit ac declarat quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in Sessionibus, sive in Congregationibus, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur (*Conc. Trid. 16. 2.*). In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, jura illius salva esse vult Synodus.

Demum universis qui jure vocati ad hoc Concilium provinciale convenerunt, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ne antequam dimissum fuerit, discedere præsumant, nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a Patribus; et insuper eos hortatur ut diurnum vivendi ordinem, in prima Congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exsequantur.

## DECRETUM III.

*De professione Fidei.*

Hæc Synodus a Sacrosancto Tridentino Concilio edocta, agnoscens "fidem sine qua impossibile est placere Deo, initium esse et fundamentum salutis," intelligens-que quod proinde primum ac præcipuum munus pastoralis sollicitudinis est illam integram illibatamque servare fidem catholicam, quam sancta Romana Ecclesia tenet et colit, atque adlaborare ut ipsam omnes amplectantur firmiterque teneant, ante omnia "Patrum exempla in hoc secuta, statuit et decernit præmittendam esse ejusdem sanctæ et catholicæ fidei professionem." Quocirca præfati sacrosancti Œcumenici Concilii Tridentini decretis enitens, professionem fidei a S. M. Pio IV. Pontifici Maximo præscriptam, ab omnibus et singulis Reverendissimis Episcopis in hac Synodo insidentibus, quibus eadem est prima in qua ipsi intersunt, palam ac publice emittendam jubet et mandat. (*Vide formam juramenti in I Concilio Quebecensi.*)

## DECRETUM IV.

*De Sacratissimo Cordi Jesu totius Provinciæ Quebecensis consecratione.*

In charitate perpetua dilexit nos Christus, ideo atraxit nos miserans. *Et nos cognovimus et credidimus charitati quam Deus habet in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* (I. Joan. IV. 16.). Cujus quidem æternæ et nimis charitatis symbolum existit in Sacratissimo illo Corde quod in cruce lancea apertum est, "quatenus, ut ait S. " Bonaventura, sanguine cum aqua manante, pretium

“ effunderetur nostræ salutis, quod a fonte scilicet Cor-  
“ dis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiæ  
“ ad vitam gratiæ conferendam, essetque jam in Christo  
“ viventibus poculum fontis vivi, salientis in vitam  
“ æternam.”

O Cor sacratissimum et amantissimum ! Trahe nos ad te, ut te redamemus toto corde, tota anima, totis viribus. Per te nobis pateat via *ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (Heb. IV. 16.). In charitate perpetua dilexisti nos ; in præsepio, in vita, in ultima cœna, in cruce immensa charitas urgebat te ; nunc ad Patrem reversus semper vivis ad interpellandum pro ovibus quos pretioso sanguine redemisti. Miserere nostri : ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Te ergo quæsumus, ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris ; miserere famulo tuo Pontifici nostro ; conserva eum, vivifica, beatum fac et non tradas in animam inimicorum ejus. Nos et oves nobis creditas, totam hanc Quebecensem Provinciam, tibi devovere et consecrare decrevimus, atque hoc nostro solemni decreto nunc devovemus ac in perpetuum consecramus, ut sis omnibus salus, vita et resurrectio ; per te justii justificentur adhuc et in finem perseverent ; peccatores convertantur ; tepidi exardescant ; mala omnia fugiant, bona cuncta concedantur. Sit fides viva, spes firma, charitas perfecta in hoc mundo, ut cursu consummato immarcescibilem gloriæ coronam percipiamus cum sanctis tuis !

Mandamus omnibus et singulis animarum curam habentibus ut die ab Ordinario præfigenda, coram Sanctissimo Sacramento ad genua provoluti, Sacratissi-

mo Cordi Jesu ipsi se et omnes suos in perpetuum consecratos pronuntient.

### DECRETUM V.

#### *De invocatione et veneratione B. M. V. Immaculatæ.*

Toto corde amplectamur matrem quam Christus moriens in cruce nobis dedit, dicens: *Fili, ecce mater tua*: et sicut ille discipulus quem diligebat Jesus, eam accipiamus in nostram matrem tenerrimam simul et potentissimam. Ineffabilis enim Deus, cujus viæ misericordia et veritas, cujus voluntas omnipotentia et cujus sapientia attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum eam ab omni æternitate in matrem Jesu elegisset et omnibus donis et gratiis cumulasset, voluit etiam ut fratrum Christi mater fieret, non natura, sed gratia.

O Genitrix Immaculata Verbi! O Mater tenerrima et potentissima filiorum Adam! Ad te clamamus exules filii Evæ; ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Succurre miseris; juva pusillanimes; refove flebiles; ora pro populo; interveni pro clero et pro tota Ecclesia Christi quæ sentiat tuum juvamen in hisce violentissimis quibus jactatur procellis; dilectissimum nobis patrem et pontificem summum, et Tibi devotissimum, custodi, rege et gubernata.

Tuque, cui datum est omnes hæreses et errores interimere in universo mundo, immaculato potentique pede tuo contere et amove quidquid scandalum afferre potest, luxum, intemperantiam, perjurium, liberalismum, indifferentismum, omniaque alia errorum monstra ubique grassantia, ut, Te adprecante, omnibus devictis inimicis nostris, tandem lætemur et exultemus pro diebus quibus

vidimus mala, et gratias agamus Deo qui nobis dederit victoriam per Dominum Nostrum Jesum Christum!

## DECRETUM VI.

### *De Sacrosancto Concilio Vaticano et de Romani Pontificis Infallibili Magisterio.*

Quod votis omnibus ac precibus a Deo petebat Summus Pontifex Pius Papa IX, ut Œcumenicum Concilium ab ipso indictum inchoare posset, id insigni ac singulari Dei ipsius beneficio, datum esse summopere lætamur.

Licet autem, propter temporum calamitates, interruptum fuerit, nec omnes fructus quos vehementer optabat et sperabat Ecclesia perceperit, tamen maxima et pretiosissima bona in religionis bonum et Ecclesiæ Dei humanæque societatis utilitatem ex illo feliciter profecta esse iterum summopere lætamur. Quæ ut Christifidelibus hujusce Provinciæ melius innotescant, præsens decretum edendum decernimus.

Omnia igitur et singula in dicto Vaticano Concilio definita et statuta palam recipimus et omnes hæreses ab eodem damnatas detestamur et anathematizamus, prout enumerantur in Constitutionibus *de Fide*, et prima *de Ecclesia Christi*.

Quia autem, ut dicunt Patres Concilii Constantinopolitani quarti: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*; nos specialiter censemur asserendam doctrinam quam Vaticani Patres de infallibili Summi Pontificis magisterio, definirunt. Profitemur divinitus revelatum esse dogma: "Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum

“ omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere  
 “ fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doc-  
 “ trinam de fide vel moribus ab universa ecclesia  
 “ tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in  
 “ Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua  
 “ divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda  
 “ doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ;  
 “ indeque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex  
 “ sese, non autem ex consensu ecclesiæ, irreformabiles  
 “ esse.”

### DECRETUM VII.

*De obedientia quam sacerdotes præstare debent  
 suis præsulibus.*

Quæ circa obedientiam quam sacerdotes præstare debent suis præsulibus, a primo Baltimorensi Concilio sapientissime sancita sunt, pro hacce Quebecensi Provincia statuimus et promulgamus ut sequitur :

“ Quoniam sæpius a quibusdam in dubium revocatum  
 “ est, an competeret præsulibus Ecclesiæ, in hisce  
 “ Fœderatis Provinciis, facultas sacerdotes in quamlibet  
 “ diœceseon suarum partem ad sacrum ministerium  
 “ deputandi, eosque inde, prout in Domino judicaverint,  
 “ revocandi ; monemus omnes sacerdotes in hisce diœce-  
 “ sibus degentes, sive fuerint in eis ordinati, sive in  
 “ easdem cooptati, ut memores promissionis in ordina-  
 “ tione emissæ, non detrectent vacare cuilibet missioni  
 “ ab Episcopo designatæ, si Episcopus judicet sufficiens  
 “ ad vitæ decentem sustentationem subsidium illic haberi  
 “ posse, idque munus viribus et valetudini sacerdotum  
 “ ipsorum convenire. Hac autem declaratione nihil  
 “ innovare volumus quoad illos qui parochialia obtine-

“rent beneficia ; neque ullatenus derogare intendimus  
“privilegiis quæ Religiosis fuerint a S. Sede concessa.”

## DECRETUM VIII.

*Ut clerici de bono nomine curam habeant.*

Quia, ut ait Apostolus, sapientibus et insipientibus debitores sumus, non sufficit quod habeamus fidem et bonam conscientiam.

Omnibus hominibus, sed præsertim clericis, edicuntur illa Sancti Spiritus oracula : *Curam habe de bono nomine* (Eccli. XLI. 15.), et *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ* (Prov. XXII. 1.).

Propterea idem Apostolus sæpissime monet ut nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant seipsos sicut Dei ministros ; ut sint providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, et, si fieri potest, quod ex ipsis est, cum omnibus hominibus pacem habeant ; ut sollicite curent seipsos probabiles exhibere Deo operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis ; ut tandem, *in omnibus seipsos præbeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (Tit. II. 8.).

Sint igitur clerici ita ab omni superbia, ira, immunditia et avaritia alieni, ita prudentes in verbo et opere, tantæ vigilantia in omni conversatione et tantæ sobrietatis, ut ne ulli quidem suspicioni dent locum. Monita et consilia circa hanc materiam sibi oblata non respuant, ne illud Prophetae maledictum mereantur : *Væ qui*

*sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes ! (Isaïæ, V. 21.)*

### DECRETUM IX.

*De vocatione ad clericalem statum.*

Nihil certum est ad propagandum Dei regnum utilius, nec ideo indefessis sacerdotum curis dignius esse, quam vocationes ad clericalem statum mature et sedulo colere. Vestigia ergo secundi Concilii hujus Provinciae Patrum prosequentes, hortamur in Domino omnes presbyteros, præcipue vero parochos et Seminariorum Collegiorumque directores, ad istas vocationes indesinenter et omni modo fovendas ac tuendas, tum apud parentes, tum apud alumnos; tum privatis colloquiis, tum in directione spirituali; tum ex propria pecunia, tum ex quorundam divitum fidelium abundantia.

### DECRETUM X.

*Ne clerici exercitio Medicinæ sese immisceant.*

*Nemo militans Deo, ait Apostolus, implicat se negotiis sæcularibus (II. Tim. II. 4.).* Propterea clericis prohibetur quidquid est vel minus decorosum statui clericali, vel pugnat cum sanctitate aut mansuetudine ministrorum Christi, vel tandem eos retrahit ab obligationibus quibus tenentur ex munere quo funguntur, aut ex voto quo ligantur.

Inter negotia sæcularia quæ prohibentur clericis, eminent medicinæ et chirurgiæ exercitium. Revera sub pœnis ecclesiasticis non cadunt chirurgiæ actus qui adustionem vel incisionem non inducunt (cap. 9. *Ne clerici vel monachi.....*); attamen de exercitio medici-

næ, Ecclesiæ voluntas satis patet ex diversis legibus quas de hac materia tulit

Concilium Lateranense, decimum inter Œcumenica, sub Innocentio II, anno 1139, hoc prohibet regularibus quia, inquit, "neglecta cura animarum, ordinis sui propositum non attendentes, pro detestanda pecunia sanitate pollicentes, humanorum se faciunt corporum curatores; cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuntius, illa de quibus erubescit honestas non debet religio tractare." Quæ sane motiva valent etiam pro clericis sæcularibus.

Alias rationes gravissimas affert Honorius III, in cap. 3. *Ne clerici vel monachi.....* : "Quia vero, inquit, theologiæ studium cupimus ampliari..... ut sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum," prohibetur clericis beneficiatis et omnibus presbyteris ne studeant medicinæ; ergo a fortiori ne eam artem exercent: qui enim aufert media necessaria, finem intendere non potest.

Innocentius III, cap. 19, *de homicidio*, declarat *multum deliquisse alienum officium usurpando* et ad tempus a celebratione suspendit, quemdam presbyterum qui, licet peritissimus et diligens, causa pietatis et non cupiditatis, tumorem curaverat in muliere, quæ postea, per propriam imprudentiam, sibi mortem causaverat.

Hæc præ oculis habeant hujusce Provinciæ clerici et presbyteri, et Sanctæ Matris Ecclesiæ sensum diligenter attendant. Forte olim necessitas, propter paucitatem medicorum in hac regione, quamdam excusationem præbere potuit, nunc autem rarissime invocari potest, et tunc, nisi agatur de aliquo casu particulari, petenda erit licentia ab Apostolica Sede. Si igitur, quod absit,

inveniatur clericus aut presbyter in hac materia delinquens, sciat se ab Ordinario posse censuris innodari.

## DECRETUM XI.

### *De clericis.*

1o. Nostri primi Concilii Patres “valde exoptarunt, ad clericos pietate et scientia melius informandos, ut tribus annis, post exantlatum philosophiæ cursum, in majori Seminario obedientiæ et sacris litteris se exerceant.” Sed, cum in praxi, frequentius plerique clerici in docendo variis in collegiis occupentur, sicque perpaucam moralem dogmaticamque addiscant theologiam, nedum ad spiritualem et proprie sacerdotalem efformentur vitam:—Omnes Provinciæ Episcopos adhortatur hæc Synodus ut, præter pericula a Tridentino Concilio præscripta, in futuro nemo ad presbyteratum promoveatur, priusquam saltem per unum annum majoris Seminarii exercitia secutus sit.

2o. Pariter adhortatur hæc Synodus ut nullus sacerdos fiat, nisi prius satisfacienti examini subjiciatur tam de theologia morali ac dogmatica, quam de ritibus, rubricis et pastoralis regimine.

## DECRETUM XII.

### *De catechesibus.*

Cum unum ex præcipuis parochorum muneribus sit pueros fidei rudimentis imbuere, animarum pastores testificamur coram Deo, et Jesu Christo, qui iudicaturus est vivos, et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus, ut pueris prædicent verbum et ministerium suum impleant, et ea fideliter exequantur quæ de catechesibus

faciendis continentur in decreto XI primi Concilii et decreto XV (Nis. 9...) secundi, necnon in mandato communi hujusce Provinciæ Episcoporum circa catechismum.

### DECRETUM XIII.

#### *De casibus reservatis et eorum absolutione.*

Dari in Ecclesia potestatem reservandi certos casus sive causas criminum graviorum a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate absolvere nequeant, constat ex definitione Sacrosancti Concilii Tridentini. (Sess. XIV. cap. 7.)

Alia Episcopis reservantur ex speciali disciplina diocesis, vel Provinciæ, alia ex lege generali Ecclesiæ. Quædam vero Summorum Pontificum judicio reservantur.

Jam in primo hujusce Provinciæ Concilio duo tantum Episcopis reservata sunt crimina, scilicet: 1° *Concubitus* publicus et notorius; 2° *locatio* domus scienter facta meretricibus publice notis. Hisce duobus addendum est *perjurium*, uti constat ex decreto præsentis Concilii provincialis.

Insuper, juxta Constitutionem Pii IX, quæ incipit: *Apostolicæ Sedis moderationi*, datam quarto idus Octobris MDCCCLXIX, Episcopis reservatur absolutio ab excommunicatione latæ sententiæ contra 1° clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum *solemne* castitatis, matrimonium contrahere præsumentes; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes; 2° procurantes abortum, effectu secuto; 3° litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Ceteri vero casus, olim de jure communi Episcopis reservati, a dicta Constitutione abolentur.

De omnibus casibus nobis reservatis, hæc statuimus vel animadvertimus.

1° Ne quis pereat occasione reservationis, validam declaramus absolutionem datam pœnitenti bonæ fidei, a sacerdote jure absolvendi ab his supradictis casibus non gaudente. Sacerdos autem qui absolvit conscientie suæ consulat.

2° Facultas ab eis absolvendi conceditur omnibus nostris vicariis generalibus, vicariis nostris foraneis et archipresbyteris; soli autem vicarii generales subdelegare poterunt. Idem dicendum de casibus papalibus qui ex jure communi, ut infra dicitur, reservantur Episcopis.

3° Quivis sacerdos potest, in territorio in quo habet jurisdictionem, absolvere a casibus supra reservatis: 1° in periculo probabili mortis; 2° feminas quæ non possent absque scandalo ad superiorem remitti; 3° in dubio rationabili utrum culpa sit reservata; 4° tempore paschali, sive ordinario, sive extenso ab Episcopo; 5° eos qui tempore paschali non potuerunt confiteri, vel quibus, tempore paschali confitentibus, dilata est absolutio ex causa rationabili; 6° eos qui sunt in obligatione administrandi, vel recipiendi aliquod sacramentum, nec possunt recurrere ad superiorem, uti sunt, v. g., sponsi qui mox contracturi sunt matrimonium; 7° eos qui faciunt confessionem generalem quam confessarius necessariam judicaverit; 8° eos qui se præparant ad confirmationem, vel ad primam communionem; 9° infirmos et senes qui non possunt venire ad ecclesiam, captivos, eos qui in longum vel periculosum iter proficiscuntur; 10° tempore missionum (gallice *retraites*).

4° In supra memorata Constitutione "*Apostolicæ Sedis moderationi*," recensentur omnes *censturæ* per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ quæ nunc Summo Pontifici reservantur, ceteris omnibus abrogatis. Quæ ut melius innotescant, volumus ut exemplar dictæ Constitutionis typis mandetur in fine actorum et decretorum hujusce provincialis Synodi.

5° Præterea, ipsum *crimen* falsæ accusationis de sollicitatione in confessione, ratione sui et absque ulla censura, reservatur Summo Pontifici in bulla Benedicti XIV, "*Sacramentum Pœnitentiæ*."

6° Notandum est Episcopos hujus Provinciæ, vi indulti quod singulis decenniis renovatur, posse absolvere ab omnibus censuris etiam speciali modo in bulla *Apostolicæ Sedis moderationi*, diei 12 Octobris 1869, Romano Pontifice reservatis, excepta absoluteione complicitis in peccato turpi, et prædictam facultatem communicare sacerdotibus idoneis qui in suis respectivis diocesis laborant, et præsertim tempore sui obitus, ut sede vacante, sit qui possit providere; casus autem in dicta bulla "*Sacramentum Pœnitentiæ*" reservatos, esse sequentes: 1° *excommunicationem majorem* quam ipso facto incurrit sacerdos absolvens complicem in peccato turpi; 2° *Crimen* ejus qui innoxium sacerdotem apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulat, vel sceleste procurat ut id ab aliis fiat; ipsum crimen sollicitationis non esse reservatum, sed esse puniendum arbitrio Ordinarium; personam sollicitatam omnino teneri ut quamprimum denuntiet, nec posse absolvi eam quæ huic adimplendo muneri parere recuset; imo negligentem vel culpabiliter omittentem denuntiare infra mensem incurrere excommunicationem latæ sententiæ nemini reservatam.

7° Extra articulum mortis, in quo nulla omnino existit reservatio, nullus a casibus papalibus absolvere præsumat, nisi habeat specialem facultatem nomine Sanctæ Sedis. Hanc autem facultatem, in terminis supra memoratis nobis a Sancta Sede elargitam, concedimus vicariis nostris generalibus in diœcesi commorantibus, vicariis foraneis nostris, et archipresbyteris, exercendam etiam post obitum nostrum, donec Apostolica Sedes certior facta, alio modo provideat.

#### DECRETUM XIV.

##### *De perjurio reservando.*

Jam in secundo hujusce Provinciæ Concilio editum est decretum XVI *de juramento*, ut sequitur :

“ *Sanctum et terribile nomen Domini* : summa igitur  
 “ reverentia, summoque timore et tremore proferendum,  
 “ invocandum et benedicendum. Quam vero horrendum  
 “ sit scelus illud profanare, tum Scriptura Sacra, tum  
 “ ipsa ratio docent.

“ Hujus sane veritatis sunt prorsus immemores ii  
 “ omnes qui eo impietatis devenerunt, ut quasi majesta-  
 “ tem Omnipotentis spernerent, jam nomen sanctum ejus  
 “ in vanum assumere, atque nomen Dei sui polluere  
 “ non reformidant.

“ Isti namque superbia, ambitione, aliisque malis  
 “ cordis sui cupiditatibus exagitati et obcæcati, erroneam  
 “ falsamque sibi effingentes conscientiam, quasi omnia  
 “ sibi permissa forent, cum vel de rebus suis in judicio  
 “ contendunt, vel maxime cum, illis effrenatæ licentiæ  
 “ diebus quibus populares aguntur electiones, de can-  
 “ didato pugnant, sæpe jurare non dubitant *temere* et  
 “ *falso et injuste*. Tunc enim sæpe jurant, vel se habere

“ quod non habent, vel se revera possidere quod nonnisi  
“ fecte possident, vel bona fide tenere quod nonnisi frau-  
“ dulenter tenent, vel se esse quod non sunt.

“ Tantam ergo impietatem, tamque damnabile scelus  
“ toto animo exsecrantes, atque totis viribus abolere  
“ cupientes, omnes. parochos, aliosque sacerdotes in  
“ sancto ministerio laborantes obsecramus, atque obtes-  
“ tamur in Domino, ut fideles sibi commissos sanctita-  
“ tem juramenti diligenter frequenterque doceant, maxi-  
“ me vero instante illarum electionum tempore; quo  
“ tandem isti discant quanta religione, in *veritate*, in  
“ *judicio* et in *justitia* jurare debeant, et quantam inju-  
“ riam divinæ Majestati inferant, quantoque scelere  
“ conscientiam suam onerent, qui *falso*, *temere*, aut  
“ *injuste* jurant; quacumque de causa, quocumque tem-  
“ pore et quocumque loco ita male jurant.”

Quia autem hoc nefandum perjurii scelus, nedum in abominationem veniat, e contra frequentius evadit, nos tanto malo occurrere volentes quantum in Domino possumus, hujusce criminis absolutionem nobis reservamus.

Bis saltem in anno, præsertim vero temporibus electionum, donec ab Ordinario aliter statuatur, de hoc crimine et de hac reservatione loquantur pastores animarum in suis concionibus, ut tandem de tanto peccato concipiatur horror, nec possit quis de ejus reservatione ignorantiam causari.

## DECRETUM XV.

### *De Sacris Oleis.*

Magna quidem veneratione digna sunt Olea Sacra quæ solemni pompa feria V in *Cæna Domini* consecrantur ab Episcopo. Ideo meminerint sacerdotes ut ea

semper et ubique asservent et deferant cum omni quæ decet reverentiâ, ad Ritualis Romani præscriptionem. Si autem, defectu sacerdotis vel clerici in sacris constituti, aliquando quorumdam laicorum committantur curæ, caveant parochi ne hi sint nonnisi viri religiosi, sobrii ac cauti.

## DECRETUM XVI.

### *De sede episcopali vacante. (\*)*

Cum fere omnes hujusce Provinciæ ecclesiæ cathedrales capitulo careant a quo, juxta Tridentinæ Synodi dispositionem (sess. XXIV. cap. 16. *de ref.*), eligi possit et debeat vicarius qui vacantem ecclesiam regat, statuimus supplicandum Sanctissimo ut sequentem normam præficiendi administratores dictis ecclesiis cathedralibus quandocumque eas vacare contigerit donec de capitulis provideantur, approbare velit, donec aliter ab Apostolica Sede provideatur.

1° Singuli hujusce Provinciæ Antistites qui neque coadjutorem cum futura successione, neque vicarium generalem habent, deputare teneantur vicarium habilem et idoneum; si vero jam plures vicarios generales habeant unum ex iis designent ad effectum præsentis decreti, per scripta authentica in archiviis servanda; habeantque plenam facultatem dictum vicarium revocandi et alterum substituendi ad nutum.

2° Hic autem vicarius, statim ac sedes vacaverit, diocesis regimen assumat sub nomine *administratoris sede vacante*, tanquam Sanctæ Sedis delegatus; et in ejusmodi munere permaneat donec novus Episcopus

(\*) Approbatum per speciale decretum S. C. de Propaganda Fide, 1 Septembris 1874, quod infra in appendice invenitur.

diocesis possessionem adierit, vel aliter ab eadem Sancta Sede fuerit ordinatum; suo autem munere renuntiare non valeat, aut eo privari, inconsulta Sancta Sede.

3° Pari modo administrator ille alterum statim deputet ecclesiasticum virum idoneum qui sibi in munere, si forte interim obierit, succedere debeat; deputatus autem, si ad administrationem pervenerit, eodem modo regimini ecclesie provideat, si forte interim obierit, et ita de ceteris donec de pastore ecclesia provisum fuerit.

4° Quicumque supra dicto modo ad vacantis ecclesie curam devenerit, teneatur, infra mensem, sub poena suspensionis, certiore reddere Sedem Apostolicam, interimque, donec responsum acceperit, possit omnibus et et singulis uti facultatibus quae jure communi vicario capitulari competere dignoscuntur, ac praeterea iisdem frui facultatibus extraordinariis quibus defunctus Episcopus pollebat, iis duntaxat exclusis quae requirunt characterem episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur; possit tamen, si necessitas urgeat, consecrare calices, patenas et altaria portatilia, cum Sacris Oleis ab Episcopo benedictis, et tandem constituere provicarios quibus, vel ob locorum distantiam, vel propter absentiam aut infirmitatem, deleget suas facultates tum ordinarias, tum extraordinarias, eodem modo ac poterat Episcopus defunctus.

5° Si forte contingat ut, aliqua ecclesia cathedrali vacante, nemo praesto sit qui illius regimen juxta praemissas regulas valeat assumere, administratorem cum iisdem obligationibus et facultatibus eo in casu deputet Metropolitanus et in ejus defectu, vel si de metropolitana ecclesia agatur, antiquior Provinciae suffraganeus.

6° Tandem omnes praedicti *administratores* rationem suae administrationis novo Episcopo reddere teneantur

sicut vicarii capitulares, juxta præscripta Tridentinæ Synodi (Sess. XXIV. cap. 16. *de ref.*).

Cum autem in hujusce Provinciæ diœcesibus quæ cathedrale capitulum habent, vel habebunt, non sit minus bono animarum necessarium, ut facultates extraordinariæ quas habebat defunctus Episcopus interruptionem non patiantur, statuimus supplicandum Sanctissimo ut vicarii capitulares a dictis capitulis electi, iis teneantur obligationibus et facultatibus gaudeant, quæ supra enumerantur in quarto articulo hujusce decreti.

De cetero, tum a *vicariis capitularibus*, tum ab *administratoribus sede vacante*, adamussim serventur omnia quæ, juxta veras sacrorum canonum interpretationes, continentur in hac brevi et pervulgata regula : *Ne sede vacante aliquid innovetur.*

## DECRETUM XVII.

### *De luxu.*

Cum sit luxus inordinatum pecuniæ impendium, quod ex vana ostentatione suam trahit originem, et etiam in usum venit iis qui, pro suis modicis opibus, vix honestæ vitæ subvenire possint, innumerabilium injustitiarum est fons et principium.

Familias ipsas labefacit luxus et ad lugendam ruinam provocat. Tum enim patresfamilias bona sua et fortunam effundunt, æs alienum imprudenter contrahunt, et Apostoli monitum obliviscentes : *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis* (II. Cor. XII. 14) ; ita quidem suam agunt rem familiarem, ut omnino impares fiant suis liberis convenienter educandis et in apta conditione locandis.

Creditorum etiam jura sæpissime offendit luxus.

Multi enim hujusce nefaria ostentationis cupidine abrepti, tot et tanta contrahunt debita ut, paucis elapsis annis, non jam queant sese ære alieno liberare.

Ad hanc etiam eandem causam referenda est illa deploranda calamitas quod nostri juvenes et quidem integræ familiæ suam patriam relinquunt et cum suarum animarum periculo in vicinas regiones emigrent. Non minus opponitur luxus sanctissimæ charitati virtuti. Quum enim ex charitatis præcepto, proximo indigenti sit occurrendum, quicumque modica tantum gaudentes fortuna, immoderate sumptum faciunt, ii etiam majoribus pollentes divitiis, qui nimiam pecuniarum et divitiarum profusionem elargiuntur, dum interea innumeri christifideles famem sentiunt et frigore premuntur, istiusmodi omnes pauperes sublevandi facultatem sibi metipsis eripiunt, et ita sane contra charitatem peccant.

Jamvero neminem latet nostram ætatem de insano vestimentorum luxu justissime reprehendi. Vesana est æmulatio qua homines tum ejusdem, tum diversæ conditionis vestimentorum ornatu semet mutuo assequi aut antecellere conantur. Et quod pessimum, hoc vanitatis studium parvulis jam cum ipso lacte nutricis instillari solet. Effectus hujus inordinati luxus perquam dolendi sunt; nam animus taliter fascinatus officia altiora, et ipsum denique vitæ præsentis finem negligit; cumque media honesta ad tot expensas haud sufficiant, tum virginalis pudicitia, tum ipsa fides conjugalis venales fiunt omnique flagitiorum generi latissima porta aperitur.

Quum igitur plebi nobis commissæ fons spiritualis temporalisque ruinæ fiat luxus, omnes animarum pastores admonemus et hortamur in Christo ut totis suis viribus contentur hunc luctuosum abusum oppugnare et emendare:

1° Exemplo proprio, maxime in domo ædificanda et instruenda, necnon in mensa et vestitu, in rhedis et equis, clericalis modestiæ regulas semper et in omnibus accurate observantes ;

2° Piarum mulierum puellarumque confraternitatum institutione, cum Episcopi licentia, ad modestiam in vestibus fovendam ;

3° Magis ac magis etiam in suis concionibus, necnon in sacro Pœnitentiæ tribunali hac in re commorentur pastores, et oves sibi creditas bonorum operum, et præsertim eleemosynæ, obligationem edoceant ; iterum atque iterum eis repetant eleemosynam non esse merum consilium, nec quemdam sublimiorem perfectionis gradum vel apicem, sed affirmare nunquam cessent bona opera et eleemosynam esse verum et necessarium officium, et innumera hac de re Scripturarum loca eis in memoriam revocent : *Ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi* (Deut. XV. 11.).— *Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum* (Eccli. XXIX. 12.).— *Vestra autem abundantia inopiam illorum suppleat* (II. Cor. VIII. 14.).

## DECRETUM XVIII.

### *De electionibus politicis et administrativis.*

Renovantes decretum nonum de electionibus politicis et administrativis in nostro Concilio quarto editum, hæc addenda ducimus.

Pastores animarum, illud decretum prudenter, breviter, clare et prævia matura præparatione, et dum animi quieti sunt, suis ovibus explicent antequam de electioni-

bus faciendis agatur. Contra perjurium, violentiam, intemperantiam et corruptionem præsertim clament.

Præactis electionibus pastores hortentur suas oves ut sibi mutuo condonent quidquid temporibus illis offensivum dictum aut factum fuerit, et simul pro bono religionis et patriæ laborent corde magno et animo volenti, nullo habito respectu ad præteritas controversias.

### DECRETUM XIX.

#### *De temperantia.*

Cum nostra ætate multi christiani in vile intemperantiæ vitium labantur, quamvis tanti ad huic malo obviandum a clero nostræ Provinciæ adhibiti sint conatus; omnes animarum rectores in Domino monemus ut novo cum zelo ebriositatem impugnent, præsertim sequentibus mediis.

1° Religiosas temperantiæ societates instituendo vel restaurando; (\*)

2° Operam dando ut quam paucissimi licentiam obtineant caupones, hique recte ordinati sint viri;

3° Absolutionem renuendo istis consiliariis (*membres des conseils municipaux*) qui, postpositis conscientie legibus, licentiam tabernariam scienter concedunt indignis, necnon talibus cauponibus legem tam civilem quam moralem violantibus, omnibusque sine licentia cauponam exercentibus.

### DECRETUM XX.

#### *De scholis acatholicis.*

In Concilio nostro Provinciali I., decretum sapientissimum *de scholis mixtis* latum fuit sequentibus verbis:

(\*) In appendice invenitur decretum circa indulgentias hisce societatibus concessas.

“ Scholas mixtas, in quibus scilicet pueri fidelium simul cum acatholicorum pueris promiscue admissi, nullam vel falsam religionem edocentur, utpote natas ad hanc impietatis luem, quæ vulgo *indifferentismus* nuncupatur, procreandam omnino periculosas iudicamus. Quapropter pastoribus animarum enixe commendamus ut fideles quorum cura sibi committitur, ab istis gymnasiis omni conatu avocent. Quod si in quibusdam locis, scholis catholicis deficientibus, mixtas scholas pueri adire cogantur, invigilent pastores eorum atque parentes ne, erroris venenum sensim ebibentes, fidei innocentiaque jacturam patiantur.”

Quum autem parentes non pauci tam gravibus monitis minime obtemperantes, sæpius propter rationes vel levissimas, liberos suos acatholicas scholas adire permittant, animarum pastores et confessarios admonemus istiusmodi parentes absolvi non posse qui semel moniti eandem tenent agendi rationem. Prohibemus enim ne quis liberos suos ad tales scholas mittat. Si tamen, propter aliquam locorum aut temporum circumstantiam, hoc videatur necessarium, et constet nullum esse perversionis periculum, omnino requiritur Episcopi licentia.

#### DECRETUM XXI.

*De iis qui, ad præstandum matrimonialem consensum, coram acatholico ministro se sistunt.*

Cum catholici, nomine hoc indigni, coram acatholico ministro uti sacris addicto, ad matrimonium contrahendum, aliquando se sistere audeant, omnes hujusce Provinciæ fideles monemus quod, quicumque sic agit, in hoc lethaliter peccat, enorme scandalum præbet, et virtua-

liter fidem negat, in divinis cum hæreticis communicando, nonobstantibus Ecclesiæ legibus.

Mandamus etiam omnibus parochis ut, bis in anno, in Epiphania Domini et in dominica in Albis, hoc præsens decretum in ecclesia sua parochiali vulgari sermone distincte legant, et, si hoc necessarium videtur, explanent.

Sciant parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum hæreticum, sacris addictum, ad consensum matrimonialem præstandum, se silere non posse, sed monere eosdem debere sponso de gravissimo peccato, quod patrant et de censuris, in quas incurrunt. Quod si consensus coram parochi velit renovari, postquam præstitus jam fuerit coram ministro hæretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parochi notificetur, parochus hunc matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti pœnitens, præviis salutaribus pœnitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit.

## DECRETUM XXII.

### *De scriptoribus catholicis.*

Nomine *scriptorum catholicorum* intelligendi sunt ii omnes catholici qui, in nostra Provincia, scribunt sive in religiosis, sive in politicis ephemeridibus, vel qui libros aut libellos conficiunt.

Etsi, speciali divinæ Providentiæ beneficio, non adsit nunc temporis in ecclesiastica Provincia Quebecensi ulla ephemeris, exceptis protestantibus, quæ dogmata catholica impugnet, quæque ex principio determinato juribus Ecclesiæ adversetur, licet aliquando, ex infirmitate

humana, in errorem incidat vel inciderit, attamen quum error irrepere ac diffundi facile queat, opportunum videtur scriptores catholicos adhortari ut, data occasione, sanas doctrinas tueantur. Ad hunc vero scopum attingendum nihil modo aptiori conducere potest quam verba SS. Domini Nostri Pii Papæ IX ad Archiepiscopos et Episcopos Galliæ directa, anno 1853, in Encyclica *Inter Multiplices*: “Atque hic haud possumus quin  
“ vobis in mentem revocemus monita et consilia, quibus  
“ quatuor abhinc annis totius catholici orbis Antistites  
“ vehementer excitavimus, ne intermitterent viros in-  
“ genio, sanaque doctrina præstantes exhortari, ut viri  
“ ipsi opportuna scripta in lucem ederent, quibus et  
“ populorum mentes illustrari et serpentium errorum  
“ tenebras dissipare contenderent. Quamobrem a vobis  
“ efflagitamus, ut dum mortiferam pestilentiam librorum  
“ et ephemeridum perniciem a fidelibus curæ vestræ  
“ traditis amovere studeatis, eodem tempore illos viros  
“ omni benevolentia et favore prosequi velitis, qui  
“ catholico spiritu animati ac litteris et disciplinis ex-  
“ culti libros isthic et ephemerides conscribere, typisque  
“ mandare curant ut catholica propugnetur et propage-  
“ tur doctrina, ut veneranda hujus S. Sedis jura, ejusque  
“ documenta sarta tecta habeantur, ut opiniones et  
“ placita eidem Sedi ejusque auctoritati adversa de  
“ medio tollantur, ut errorum depellatur caligo et homi-  
“ num mentes suavissima veritatis luce collustrentur.  
“ Atque episcopalis vestræ sollicitudinis et charitatis  
“ erit catholicos istos scriptores bene animatos excitare,  
“ ut majore usque alacritate pergant catholicæ veritatis  
“ causam sedulo sciteque defendere, eosque paternis  
“ verbis prudenter monere, si quid in scribendo offen-  
“ derint.”

Ut igitur scriptores de rebus religiosis pertractantes finem a SS. D. N. Pio Papa IX intentum attingant, opus est :

1° Ut ideo sese ad munus implendum studiis seriis præparent, sintque, juxta Summi Pontificis vota, viri non solum *catholico spiritu animati*, sed etiam *sana doctrina præstantes ac litteris et disciplinis exculti* ;

2° Ut libenti animo monitis sui Episcopi obtemperent, ejus consilia sequantur, præsertim quando quæstiones arduas de practicis inter Ecclesiam et societatem civilem relationibus, ut in nostra regione habentur, pertractabunt ;

3° Ut debitam moderationem, prudentiam, charitatem erga adversarios, præsertim catholicos, ac congruentem erga homines in potestate, sive ecclesiastica, sive civili, constitutos, necnon erga collegia seu gymnasia, seminaria et academias sub directione episcopali constituta, sedulo servent ;

4° Ut a mutuis conviciis abstineant, et eos qui a sua sententia alieni sunt, criminari et contumeliis afficere vereantur ; cum hæc fieri non possint absque magno fidelium scandalo, sine christianæ charitatis et pacis dispendio, hæreticorum vero contemptu, qui, digladiantibus inter se catholicis, plane triumphant. Ne igitur hujusmodi contentiones per ephemerides et libellos a catholicis exercentur, sed potius omnes unitatem spiritus in vinculo pacis servare studeant.

Opportunum etiam ducimus compendiose consilia et regulas tradere quæ fusiori modo data sunt a Benedicto XIV, consultoribus et censoribus Sacræ Congregationis Indicis, de examine et proscriptione librorum, quæque in posterum scriptores catholici servare debebunt sive in scribendis, sive in judicandis libris vel scriptis alio-

rum præsertim catholicorum. Exigit nempe Summus ille Pontifex a) ut de variis opinionibus atque sententiis absque partium studio et animo a præjudiciis omnibus vacuo judicetur, et Ecclesiæ Sanctæ dogmata et communem catholicorum doctrinam, quæ conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus et orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant, siquidem non paucae sunt opiniones quæ sine ullo fidei aut religionis detrimento, sciente ac permittente Apostolica Sede, ab aliis viris catholicis rejiciuntur, ab aliis defenduntur. b) Ut judicium de aliquo scripto non feratur nisi omni ex parte prius legatur, nisi attente etiam considerentur consilium et institutum auctoris, necnon et propositiones ut in contextu habentur. c) Ut ambigua dicta quæ auctori alioquin catholico exciderint, benigne, quantum licuerit, explicantur et in bonam partem accipiantur. d) Ut repudientur facetiæ aut diceria quæ in perniciem aut præjudicium famæ et existimationis aliorum vergunt; ut aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura nullus perstringat; ut in defendendis opinionibus *adhibeatur disceptatio moderata et absit error opinantium se scire quod nesciunt* (*Aug. in Enchir. cap. 1, 59*); ut nullus, sub prætextu zeli veritatis, suarum scriptio- num mordacitatem excusare præsumat, siquidem habenda est æqua ratio charitatis evangelicæ ac veritatis. e) Ut cohibeatur ea scriptorum licentia, qui *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est*, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant.

Nobis etiam addendum videtur excerptum quoddam Concilii Plenarii Baltimorensis II (1866) de ephemer-

dibus agens, et a Sancta Sede recognitum. Ita se habet :

“ Evenire aliquando potest, ut Folia publica a Catholicis viris scripta aut directa, in bonum Catholicæ fidei indirecte vertant. Ne tamen ea, quæ ipsi politicarum partium studio ducti conscribunt, Religioni Catholicæ aut Ecclesiasticæ auctoritati tribuantur, ut a malignis quibusdam adversariis aliquando fit, id omnibus notum et manifestum esse volumus, nullam a nobis Ephemeridem pro Catholica agnosci, quæ non Ordinarii approbationem præ se ferat.

“ In pluribus diocesisibus extant Ephemerides quædam, quæ vel ipso nomine Catholicas se profitentur, quæque Ordinarii approbationem quodammodo præ se ferunt. Iis enim veluti mediis et instrumentis utitur Episcopus, quibus clero ac populo mentem suam ac mandata significet. Hinc vulgato apud nos loquendi more, *Organa Officialia* (Official Organs) vocantur ; quasi singulis earumdem paginis ac lineis, ipse qui Episcopali dignitate et officio fungitur, gregem suum alloquatur ac doceat. Quæ sane opinio, falsa illa quidem, sed ex male intellecti nominis errore orta, fere omnium, præsertim hæreticorum, mentes pervagata est. Ex quo nasci solet incommodum neque leve, neque diutius ferendum ; dum scilicet ea omnia quæ ab harum Ephemeridum seu Foliorum scriptoribus, humani aliquid forte patientibus, falso, inconcinne, intemperanter dici possunt, ipsi Episcopo quasi vi officii sui populos docenti tribuuntur.

“ Ut igitur in posterum Episcopale officium ac munus hoc onere atque incommodo levetur ; ut vera *relatio*, ut loquuntur, Ordinarii ad Folia Ecclesiastica seu Ephemerides Catholicas recte et perspicue intelligatur ;

“ ut demum nullus aut nostris aut adversariis supersit  
 “ dubitandi aut cavillandi locus, Patres hujus Concilii  
 “ Plenarii profitentur atque declarant, approbationem  
 “ Ordinarii, quæ de more Foliis Catholicis datur, nihil  
 “ aliud sibi velle, quam judicare Episcopum nihil a  
 “ scriptoribus contra fidem et mores proferri, spem quo-  
 “ que bonam se habere nihil in posterum proferendum,  
 “ eosque esse redactores quorum scripta ad ædificationem  
 “ utilia esse possint : Episcopum vero neque posse neque  
 “ debere respondere ac rationem reddere de iis universe,  
 “ quæ in hujusmodi Foliis habentur, sed de iis tantum,  
 “ quæ vi officii sui docendo, monendo, jubendo, aut  
 “ vetando in vulgus ediderit, et quibus sua ipse manu  
 “ subscripserit.”

### DECRETUM XXIII.

#### *De liberalismo catholico.*

Liberalismus catholicus paulatim in Sanctam Eccle-  
 siam intromissus est et in ea se dolose abscondit, sicut  
 antiquus serpens in Paradisum, ut imprudentes animas  
 seducat, illas ad fructum arboris scientiæ boni et mali  
 manducandum insidiosè impellendo.

Deo autem gratias agimus quod pessimus ille error  
arum communis sit in hac Provincia. Attamen, ut  
 omnino deleatur, et ne amplius spargatur, omnibus  
 mandamus ut oves suis pastoribus, pastores autem  
 Vicario Christi et ejus doctrinæ firmissime adhæreant.

Non est dubitandum, inquit S. S. Pater Pius IX,  
 quin per tristissima hæc Ecclesiæ tempora, omnes  
 Ecclesiæ hostium machinationes eo spectent, ut deleant  
 illius constitutionem et vincula frangant quæ populos  
Episcopis, Episcopos devinciunt Christi Vicario. Ob-

servantia enim hæc indubia est tessera filiorum Ecclesie ; et ipsa constituit inexpugnabilem vim illam unitatis, quæ sola retundere potest osorum illius furorem, dolum, audaciam.

Sed quanquam filii sæculi prudentiores sint filiis lucis, eorum tamen fraudes et violentia minus fortasse proficerent, nisi multi, qui catholicorum nomine censentur, amicam eis manum porrigerent. Non desunt enim, qui, veluti jugum cum illis ducturi, societatem nectere conantur inter lucem et tenebras ac participationem inter justitiam et iniquitatem per doctrinas quas dicunt catholico-liberales, quæque perniciosissimis fretæ principiis, laicæ potestati spiritualia invadenti blandiuntur animosque in obsequium, aut saltem tolerantiam iniquissimarum legum perinde inclinant, ac si scriptum non esset : *Nemo potest duobus dominis servire.* Hi vero periculosiores omnino sunt et exitiosiores apertis hostibus, tum quia inobservati, et fortasse etiam nec inopinantes, illorum conatibus obsecundant ; tum quia intra certos improbatarum opinionum limites consistentes, speciem quamdam probitatis et inculpabilis doctrinæ præferunt, quæ imprudentes alliciat conciliationis amatores, et decipiat honestos, qui apertum adversarentur errorem ; atque ita dissociant animos, unitatem discernunt, viresque conjunctim opponendas adversariis infirmant. Eorum tamen insidias facile vitare poterunt veri Ecclesie filii, si præ oculis habeant divinum monitum : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos ; et si animadvertant ipsos stomachari quidquid paratam, plenam, absolutamque devotionem sapit placitis ac monitis Sanctæ Sedis Apostolicæ ; vix aliter de ipsa loqui quam de romana curia ; imprudentiæ passim vel inopportunitatis insimulare ejus acta ; ultramontanorum aut Jesuitarum ap-*

pellationem affingere studiosioribus et obsequentioribus ejus filiis ; inflatosque superbiæ vento prudentiores se illa censere cui peculiare et perenne promissum fuit divinum auxilium. Quapropter omnes instantes hortamur ut ab his doctrinis catholico-liberalibus a Summo Pastore reprobatis sollicitè se præcaveant ut semper meminerint ad Romanum quoque Pontificem, qui divina vice fungitur in terris, pertinere quoad ea quæ fidem, mores, Ecclesiæ regimen spectant, illud quod de se ipso Christus affirmavit : *Qui mecum non colligit, spargit.*

(*Ex responso Pii IX. Præsidi et Sodalibus Circuli S. Ambrosii Mediolanensis, 6 Martii 1873.*)

#### DECRETUM XXIV.

*De libertate Ecclesiæ ejusque cum potestate civili relationibus.*

Profitemur Ecclesiam esse societatem perfectam, independentem a potestate civili, eaque superiorem. Inter religiosam hujus societatis auctoritatem, cujus plenitudo est in Romano Pontifice et potestatem politicam christiani gubernii, ea existit ex ipsis rerum naturis relatio ut hæc sit illi nedum negative sed et positive subordinata, licet indirecte. Potestas scilicet civilis nihil agere potest quod redundet in damnum Ecclesiæ, et ab iis actibus abstinere debet qui jura Ecclesiæ læderent ; imo debet etiam, quando societas religiosa id exposcit, ad ejus bonum et ad ejus finem supernaturalem attingendum conferre. Hæc est certa doctrina Bonifacii VIII in Bulla *Unam Sanctam*, in qua docet *gladium materiale* esse oportere *sub gladio spirituali* et esse adhibendum *pro Ecclesia, non autem contra Ecclesiam.* Eadem est sententia Patrum, qui scribunt potestatem

civilem a Deo esse institutam *in præsidium et tutelam Ecclesiæ.*

Hoc tamen non impedit quominus societas religiosa et societas civilis sint distinctæ, propriumque habeant finem ; prioris enim est ad felicitatem æternam perducere ; posterioris vero, felicitatem temporalem præbere. Quum autem ratio subordinationis ab excellentia finis desumatur, consequitur societatem civilem esse societati religiosæ subordinatam, sed indirecte tantum, siquidem in iis omnibus in quibus sola felicitatis temporalis ratio occurrit, civilis potestas quæ ad eam dirigere debet, est independens, quum ipsa, et non alia, propter hunc finem existat.

Ut autem tempore opportuno libertas et jura Ecclesiæ apud sæculares homines, sive iudices, sive advocatos, sive populi deputatos, sive scriptores catholicos, fortes et doctos habeat defensores, maxime optandum est ut in omnibus gymnasiis, collegiis et academiis, quantum fieri potest, hanc doctrinam a viris sana doctrina præstantibus ac litteris et disciplinis excultis, alumni accurate edoceantur.

Lætantes vero confitemur majorem libertatis gradum Ecclesiam adeptam esse in nostra Provincia quam forsan in ullo alio orbis terrarum loco, simulque sperantes cupimus ut plenam perfectamque libertatem, in quantum possibile est, deinceps possideat, faventibus gratiosis civilibus ministris et reipublicæ ducibus.

#### DECRETUM XXV.

*De publicatione Decretorum hujus Synodi Provincialis.*

Omnia et singula quæ a nobis in hac quinta Provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus obe-

dientia ac reverentia, auctoritati ac iudicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris ac magistræ, revisenda et recognoscenda subjicimus.

Quapropter istius Synodi decreta nemo prelo subjiciat aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V, quæ incipit: *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa firmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur; impressaque, a singulis Episcopis hujus Provinciæ, vel in synodo diocesana, vel, si celebrari nequeat, extra synodum, quam primum promulgentur.

#### DECRETUM XXVI.

##### *De indictione futuri Concilii Provincialis.*

Cum Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur Concilia Provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentibus adesse debent.

#### DECRETUM XXVII.

##### *De fine Concilii.*

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factam esse decernimus.


## DECRETUM XXVIII.

*De subscriptione.*

Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, admonemus Reverendissimos Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et eis quæ in hac Synodo decreta sunt subscribant.

Nos, Elzearus-Alexander Taschereau, Archiepiscopus Quebecensis, hæc decreta a nobis definita subscripsimus.

- ✠ E.-A., Archpus Quebecen.
  - ✠ EGO IGNATIUS, Marianopolitanus Epus, definiens subscripsi.
  - ✠ EGO EUGENIUS, Ottawiensis Episcopus, definiens subscripsi.
  - ✠ EGO CAROLUS, Epus Sti Hyacinthi, definiens subscripsi.
  - ✠ EGO L.-F., Epus Trifluvianus, definiens subscripsi.
  - ✠ EGO JOANNES, Epus Sti Germani de *Rimouski*, definiens subscripsi.
  - ✠ EGO E.-C., Epus Gratianopolitanensis, subscripsi.
-



## APPENDICES.

---

### EPISTOLA PATRUM CONCILII QUEBECENSIS V AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIME PATER,

Nos infrascripti, Archiepiscopus et Episcopi Ecclesiasticæ Provinciæ Quebecensis, quinta nostræ Provinciæ Synodo peracta, ad Sanctitatem Vestram illius nostri cœtus acta deferimus, Sanctitatis Vestræ iudicium de iis humiliter implorantes.

Felices quod hanc occasionem nactis quomodo et quid in Ecclesiæ præsentibus rerum adjunctis sentiant mentes et corda nostra notum facere nobis detur, ante omnia sincere profitemur nos simul cum ovibus nostræ curæ commissis, maxima reverentia, admiratione, ac filiali pietate repletos, semper memores esse tribulationum quibus gentes frementes, et populi inania meditantes, ac reges et principes in unum convenientes, Christum Domini, Sanctæ scilicet Romanæ Ecclesiæ Pontificem, Te nostrum adeo omni dilectione et veneratione dignum Papam Pium IX opprimunt, et Deo continuas preces effundere ut Vestram Sanctitatem a tantis malis liberare dignetur; et unanimes uno corde et anima una quibus doloribus afficitur Sanctitas Vestra, sicut devoti filii qui non possunt quin amati patris afflictionibus peramanter compatiantur, nos æqualiter opprimimur!

Attamen, Beatissime Pater, dum ita Sanctitati Vestræ magnopere condolentes, super Te flemus captivum et in

propriis ædibus quasi in carcere detentum, Deo benedicimus et gratias agimus quod nostris pravis et omni desolatione desolatis temporibus, fiducia in Deum inconcussa, invicti animi fortitudine, et indomitæ voluntatis constantia nostræ Sanctæ Ecclesiæ Pontifex Summus, Christi Vicarius, adeo fidelem Domini sui servum sese exhibeat, ut spectaculum factus sit et Angelis et Sanctis qui in cœlo de tam gloriosa Fidei victoria exultant, et omnibus hominibus qui terrarum ubique maxima habent in admiratione quid in Sanctitate Vestra præstet Christi virtus adeo in Vestra persona supereminens, ut supra naturam Vestram extollat Beatitudinem, quæ omni humana destituta ope et in vinculis posita, nihil de suis furentibus timere videtur inimicis; ast e contra, tanto animi robore impletur, ut sæculi potentes a facie Vestra quasi contremiscant, et aliquid superhumanum et in verbis et in actibus Vestris inveniri confiteantur!

Unde, Beatissime Pater, Tibi maxima cum animæ lætitia congratulamur, quod omnes in Vestra Sanctitate illum angularem percipiant aut agnoscunt totius humanæ societatis lapidem, ad quem Christus verba direxit: "*Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,*" hoc est, omnium Christifidelium veram societatem et unitatem, ad quam etiam ille divinus totius mundi Salvator gentium et populorum universitatem invitat et convocat, juxta quod locutus est, dicens: "*Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili: et illas me oportet adducere!*"

Ergo, Beatissime Pater, gaudendi locus est ex eo quod grex universus, totum scilicet genus humanum, Vestræ sicut ipsius Petri curæ commissus, Te laudibus extollit, admirans quid in Te et per Te operetur cujus gratia adimplevit Apostolum, adeo ut affirmare non dubitave-

rit, *omnia possum in eo qui me confortat* : quæ quidem Pauli verba rite et vere pronuntiare potest Sanctitas Vestra!! Et inde spe replemur cito adventurum illud supra mundum Christi regnum, ex quo juxta ipsius verba *fiet unum ovile et unus Pastor!* Et utinam annos vitæ Vestræ coronare possit ille gratiæ et fidei triumphus!! Nobis profecto perspicuum est quod pro tantis quibus laboraverit angustiis et gemitibus, nullam aliam Sibi majoris momenti et pretii mercedem accipere posset Sanctitas Vestra! Et Deum ferventer adprecamur ut per suam infinitam bonitatem et misericordiam sic eveniat! Et equidem hoc sperare nobis non liceret, postquam Divinæ Providentiæ placuit antiquum illud verbum, "Non videbis annos Petri," ad Vestram Sanctitatem non spectare? postquam etiam Vestræ Sanctitati reservatum fuit illud usque ad mundi finem mirandum Vaticanum Concilium inchoare, quod dogma fidei declarans Ecclesiæ et totius ordinis in humana societate verum fundamentum, Romani Pontificis coronam Infallibilitatis gemma decoravit, et ita perfectum effecit? postquam tandem Deo, juxta suum divinum beneplacitum, bene visum est ut Sanctitatis Vestræ venerandum caput sic perfectam Vicarii Christi coronam primus inter Petri successores gestaret?

Dum ita loquentes animas in Sanctitatis Vestræ sinum fundimus, hoc intendimus, Beatissime Pater, significare scilicet Vestræ Sanctitati, quod corde magno et animo volenti dogma de Romani Pontificis personali Infallibilitate accepimus, sicut etiam accepimus omnia alia quæ statuta ac definita fuerunt a Sacrosancto Vaticano Concilio, Deo Gratias agentes nos audisse et vidisse quod Patres nostri neque audierunt neque viderunt.

Nunc autem nobis liceat, Beatissime Pater, hic

recordari quod qui primus Romanam quam tenes Sedem occupavit, ipse quoque primus etsi pluries vinculis constrictus, et Cæsarem et Cæsaris astutiam et imperium prostravit, nulla alia vi aut potentia fretus, nisi verbi sui aut doctrinæ quam licet flagellis cumulat, firmiter et nullo terrore perterritus prædicabat, eodem præcise modo quo Sanctitas Vestra, ut ad agnitionem veritatis et salutem perduceret eos ipsos homines a quibus pro tanto eorum animarum zelo mercedem recepit mortem in cruce! Quod et ad crucem et ad mortem sicut primus Petrus, ire sis paratus, ut juxta Christi mentem, veritas mundum liberet et salvum faciat a pessimis in quibus nunc viis ambulat aberrans, nullatenus dubitare possumus! Sed quidquid de hoc in votis esse possit Vestræ Sanctitati, quæ dubio procul fidei et Ecclesiæ jurium martyribus quotidie exponitur adjungi, et sic Petri glorioso fine quiescere, Deum Omnipotentem non cessantes deprecamur, ut ad Te alterum Petrum Angelum mittat qui Te ex carcere eripiat et de manu alterius Herodis, et de omni expectatione nostri sæculi Judæorum, Christi et ejus Ecclesiæ inimicorum non minus quam qui Petrum persequentes, nihil nisi totius Ecclesiæ destructionem moliebantur.

• Nihilominus Deo Omnipotenti et Optimo fidentes, etsi momenta sint quæ Pater in sua potestate posuit, speramus tempus cito adventurum, cum tota Sancta Ecclesia Catholica gaudens gaudebit suum amatissimum et veneratissimum Pontificem libertati fuisse restitutum, tempora tranquilla et quieta ipsi fuisse concessa, et Christi regnum ubique terrarum, ad Dei gloriam et populorum salutem fuisse diffusum, et perpetuo stabilitum! Quod præstare et efficere dignetur Immaculata Virgo Mater

Dei, quæ cunctas hæreses semper in Ecclesia suo potenti pede protrivit.

Quo super, spe nostra fortes et felices, animo tamen et corde ad lacrymas usque commoti, et ad Sanctitatis Vestrae pedes provoluti, Vestram Apostolicam Benedictionem, Nobis ipsis et ovibus nostris, humiliter implorantes subscripsimus tanquam devotissimi filii.

- ✠ E.-A., Archepus Quebecen.
- ✠ IG., Epus Marianopolitanus.
- ✠ JOS.-EUGENIUS, Epus Ottawiensis.
- ✠ C., Epus Sti Hyacinthi.
- ✠ L.-F., Epus Trifluvianus.
- ✠ JOANNES, Epus Sti Germani *de Rimenski*.
- ✠ E.-C., Epus Gratianopolitanus.

Quebeci, die 27a Maii 1873.

---

*Summi Pontificis responsio.*

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Nihil certe, Venerabiles Fratres, in acerrimo isto contra Ecclesiam bello ubique conflato Nobis optabilius et jucundius contingit unanimitate et affectu sacrorum Antistitum, in quibus et per quos universam catholicam familiam stare nobiscum et pro religiosis rebus nobiscum decertare videmus. Quare licet non ignoraremus qua fide informemini et quo zelo flagretis pro Dei Gloria, pro salute animarum, pro doctrinae

puritate, pro libertate et juribus Ecclesiæ et hujus Sanctæ Sedis; acceptissimum tamen habuimus, a vobis in synodum collectis diserte significari voluisse vestrum et vestrarum ovium plenissimum intellectus obsequium et propensissimam voluntatem in dogmata recenter definita, impensam huic Petri cathedræ devotionem, gravem ob injurias ipsi et Ecclesiæ illatas mœrorem et indignationem, anxiam de Nobis sollicitudinem, impensum, quo Deum propitiare conamini, studium, vota demum incensa, pro ocriori justitiæ triumpho. Hæc certe nos omnia gratissimo excepimus animo, non modo uti perspicua dilectionis et observantiæ officia, sed etiam in validissimam opem ad victoriam urgendam. Siquidem, nec tot instantes perseverantesque preces effectum suo destitui poterunt, nec tanta animorum conjunctio non confirmare novis veluti viribus invincibilem Ecclesiæ unitatem. Hac itaque armatura Dei induti pugnare pergite contra spiritualia nequitiae et mundi rectores tenebrarum harum, cum quibus tota præsens fervet colluctatio, certi non minus nobilem in victoria futuram partem vestram, quam aliorum, qui strenue pro eadem causa decertaverint. Supernæ interea gratiæ et cœlestium omnium munerum auspiciis excipite Benedictionem Apostolicam, quam singulis vobis, Venerabiles Fratres, et universo uniuscujusque gregi præcipuæ nostræ benevolentiae gratique animi testem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 15 Septembris anno 1873.

Pontificatus Nostri anno Vicesimoctavo.

PIUS PP. IX.

---

EPISTOLA AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GERMANIÆ  
ET HELVETIÆ.

*Vénérables Frères,*

Le bruit des persécutions dirigées contre l'Eglise de votre pays a franchi l'Océan et vient remplir nos âmes d'une profonde douleur. Vous souffrez ; et la vue des maux qu'endure le troupeau qui vous est confié, et des maux plus grands encore qui le menacent, redouble vos amertumes. Mais la noble attitude que vous avez su prendre, en face des persécuteurs de l'Eglise et de ses droits sacrés, nous remplit d'admiration. Réunis en Concile, Nous, l'Archevêque et les Evêques de la Province de Québec, ne voulons pas nous séparer sans exprimer à des Princes de l'Eglise, qui nous donnent un si sublime exemple d'attachement à ses saintes lois, nos sympathiques douleurs.

Dans la guerre acharnée, mais impuissante, que l'enfer renouvelle sans cesse contre l'Eglise, il dirige aujourd'hui ses attaques contre son auguste Chef et ses premiers Pasteurs dont il voudrait étouffer la voix et paralyser l'action. Renverser l'autorité divine de l'Eglise, fouler aux pieds ses droits sacrés, lui disputer sa place sur la terre, tel est le but réel que l'on veut atteindre, en le masquant toutefois sous les formes étudiées des lois ou le voile d'une prétendue légalité. Vous l'avez compris, Vénérables Frères, et vos énergiques protestations, vos courageuses résistances, et la fidélité d'un clergé si digne de ses chefs, ont appris aux persécuteurs que les enfants de l'Eglise ont foi dans la parole du divin Maître : "*Portæ inferi non prævalerunt adversus eam.*"

Restez debout sur la brèche, Vénérables Frères; votre attitude ferme, votre constance à défendre les libertés de l'Eglise, à soutenir la vérité, réjouiront l'Epouse du Christ, et vous assureront une glorieuse part dans les luttes qui doivent perpétuer sa victoire. Oui, vous disons-nous, avec saint Pierre : "*Communicantes Christi passionibus, gaudete ut et in revelatione gloriæ ejus, gaudeatis exultantes.*"

Cependant, Vénérables Frères, nous élevons des mains suppliantes vers le ciel, vers Dieu, qui commande aux vents et à la mer, le priant qu'il daigne dissiper l'orage et ramener le calme et la sérénité au ciel de votre belle patrie. Qu'il fasse luire pour vous des jours de paix et verse sur vous l'abondance de ses consolations : "*Benedictus Deus pater Domini nostri Jesu Christi qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*"

Agréez, Vénérables Frères, cette expression de notre admiration, de nos vives sympathies et des vœux que nous renouvelons dans l'effusion de nos cœurs.

- ✠ E.-A., Arch. de Québec.
- ✠ Ig., Ev. de Montréal,
- ✠ Jos.-EUG., Ev. d'Ottawa.
- ✠ C., Ev. de St. Hyacinthe.
- ✠ L.-F., Ev. des Trois-Rivières.
- ✠ JEAN, Ev. de S. Germain de Rimouski.
- ✠ E.-C., Ev. de Gratianopolis.

Québec, 27 Mai 1873.

---

## RESPONSIO REVMI DD. ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS.

*Illustrissime et Révérendissime Seigneur,*

Le R. P. Supérieur du Séminaire des Missions de Paris m'a fait parvenir un exemplaire de la lettre magnifique, en date du 27 Mai dernier, que Votre Excellence, de concert avec les autres Révérendissimes Evêques de la Province de Québec, a daigné adresser aux Archevêques et Evêques d'Allemagne et de Suisse. Je me suis hâté de traduire en langue allemande et de publier, sur les journaux catholiques, cette preuve admirable de votre charité fraternelle et de cette unité catholique qui embrasse le monde entier, et je l'ai communiquée à tous mes collègues et au peuple fidèle. Nous en avons été grandement consolés et encouragés, au milieu des graves tribulations que nous avons à souffrir ; pour ce témoignage de votre charité et de votre sympathie, qui nous a été si agréable, je me fais un honneur, au nom de tous mes collègues à qui cette lettre a été adressée, de rendre de nombreuses et très-humbles actions de grâces à vous, Révérendissime Seigneur, et à tous et chacun des Evêques vénérés qui y ont apposé avec vous leurs signatures.

Je vous prie ardemment de continuer à soutenir et à affermir, par vos bonnes prières, ceux à qui vous venez offrir des consolations si abondantes, afin que, dans la persécution et la tribulation qui nous entourent en ce moment, nous puissions toujours connaître la voie droite que nous trace la volonté divine, et la suivre avec constance.

Avec les sentiments de vénération et de charité fraternelle, je demeure dans les entrailles de Jésus-Christ,

De Votre Excellence Révérendissime,

le très-humble confrère en Jésus-Christ,

✠ PAUL, Arch. de Cologne.

Cologne, 30 Juin 1873.

A l'Illustrissime

et Révérendissime Seigneur,

Archevêque de Québec,

ALEXANDRE TASCHEREAU,

Québec.

---

EPISTOLA AD EPISCOPOS SANCTI JOANNIS ET CHATHAMENSEM IN NEO-BRUNSWICKIO.

*Vénérables et bien chers Collègues,*

Réunis dans cette ville métropolitaine, pour la célébration de notre cinquième Concile Provincial, nous croyons remplir un devoir de religion et de charité, en exprimant à Vos Grandeurs notre plus vive sympathie dans la lutte qu'Elles se voient obligées de soutenir pour la liberté de l'enseignement dans le Nouveau-Brunswick. Dans tous les temps, dans tous les pays, les pasteurs de l'Eglise ont été unanimes à proscrire les écoles où les enfants catholiques ne rencontrent pas les garanties nécessaires pour la protection de leur foi, soit que l'on y propage directement l'erreur, soit que l'on en exclue tout enseignement doctrinal. Il est si important que la

jeunesse reçoive une éducation solidement religieuse, en même temps qu'une bonne instruction séculière, et que, tout en apprenant les éléments des lettres et des sciences humaines, elle puise surtout les principes, non d'une morale purement spéculative, mais d'une morale appuyée sur la base inébranlable de la révélation divine, telle qu'interprétée par la sainte Eglise catholique ! Et cependant ces avantages ne peuvent s'obtenir dans ces écoles mixtes et pratiquement athées, auxquelles une majorité, libérale et généreuse en paroles, mais tyrannique et intolérante en effet, veut condamner les parents catholiques de votre province à contribuer contre leur conscience, et leurs enfants à se rendre au grand péril de leur foi.

Au milieu des dangers que courent ainsi vos ouailles, vous avez compté sur le support moral de vos Collègues dans l'Episcopat du Canada tout entier, et sur celui de leur peuple, et votre espoir ne sera pas trompé, Nos bien-chers Seigneurs. Nous, catholiques de la Province de Québec, avons un droit particulier à demander que nos co-religionnaires soient protégés dans leurs croyances religieuses partout où ils sont en minorité dans les autres provinces, nous qui n'avons nullement hésité à accorder une pleine liberté à la minorité protestante pour l'instruction de ses enfants.

Si donc, pour s'acquitter d'un devoir sacré, Vos Grandeurs jugent convenable, dans leur sagesse et leur prudence, de réclamer auprès du Parlement Impérial ou du Gouvernement Fédéral pour la défense et le respect plus efficaces de leurs justes droits, Elles nous trouveront tout disposés à les appuyer dans cette demande si légitime, et avec nous, nos ministres et nos législateurs catholiques, nous osons nous en porter garants.

Dans les sentiments d'une haute estime et d'une sincère affection, nous demeurons

De Vos Grandeurs,

Les très-dévoués serviteurs et frères en N. S.

- ✠ E.-A., Arch. de Québec.
- ✠ IG., Evêque de Montréal.
- ✠ Jos.-EUG., Evêque d'Ottawa.
- ✠ C., Evêque de S. Hyacinthe.
- ✠ L.-F., Evêque des Trois-Rivières.
- ✠ JEAN, Ev. de S.-G. de Rimouski.
- ✠ E.-C., Evêque de Gratianopolis.

Québec, 20 Mai 1873.

---

RESPONSIO REVM. DD. EPISCOPI SANCTI JOANNIS.

*To their Lordships the Archbishop and Bishops of the Province of Quebec.*

MY LORDS,

The joint letter, dated yesterday, which your lordships, assembled in Council in this city of Quebec, have been pleased to address to the Bishop of Chatham and myself, regarding the painful struggle in which the Catholics of our dioceses in the Province of New-Brunswick are engaged, to obtain for their children the inestimable blessing of a catholic education, claims our heartfelt thanks. The warm catholic sympathy, which your letter expresses in our behalf, must cheer the hearts of both our clergy and people, and spur them on in their efforts to obtain justice in a cause so important and holy. Divine Providence has favoured the Province of

Quebec in an especial manner in this one age, on account of the privileges and position enjoyed by our holy religion in your truly catholic country, and we pray that God may long continue his protection to your people and bless the labours of your lordships for his glory and the salvation of souls.

I have the honour to be, My Lords, with sentiments of profound respect and gratitude,

Your lordship's devoted servant and brother in J.-C.

✠ J. SWEENEY,  
Bp. of St. John.

Quebec, May 21st 1873.

---

RESPONSIO REVM DD. EPISCOPI CHATHAMENSIS.

Chatham, N. B., May 25th 1873.

MY DEAR LORD ARCHBISHOP,

I beg to tender to Your Grace and to Their Lordships the Bishops of the Ecclesiastical Province of Quebec, my most grateful thanks for the important document issued before separating on the occasion of your recent Provincial Council, respecting the non-religious School Law of New Brunswick against whose injustice to Catholics we are so earnestly protesting.

This authoritative exposition of Catholic principles respecting the necessity of religion in the education of youth, and the earnest fraternal sympathy with us Catholic Bishops and people of New Brunswick in protesting against a *Godless* system of education, expressed in the said document, together with the declaration on the part of all the Bishops that they will use

their influence, if necessary, with our legislators and with the British Government, in our behalf in case of an appeal to the Supreme Court of England against the New Brunswick School Law, must, certainly, produce a good effect.

If it be ineffectual in overcoming the fanaticism of the authors and patrons of our said School Law, it will nevertheless produce a most happy moral effect in confirming Catholics in their principles and in their protest against error. It will demonstrate the unity of Catholic teaching, in the important matter of education, as well as in every other matter affecting men's spiritual welfare.

Therefore, My Dear Lord Archbishop, be pleased to accept for yourself and for all your Venerable Suffragan Bishops, my cordial thanks, as well as those of the clergy and people of my diocese, for this your valuable letter addressed to the good Bishop of St. John and myself. The Bishop of St. John, having been present in person to solicit this expression of sympathy from the Episcopate of Quebec, has doubtless expressed his thanks also.

With profound respect and affection,

I beg to remain

Your Grace's humble and devoted

brother in Jesus Christ,

✠ JAMES ROGERS,

Bishop of Chatham.

His Grace

The Most Reverend

E.-A. TASCHEREAU,

Archbishop of Quebec.



## BREVE ERECTIONIS DIOECESIS SHERBROOKENSIS.

## PIUS PP. IX.




AD FUTURAM REI MEMORIAM. Arcano Divinæ Providentiæ consilio, nullis quidem Nostris meritis, in hac Beatissimi Petri Cathedra sublimi veluti in specula, collocati, ad eas Catholici orbis partes acrius animum intendimus, quæ ab hoc Sanctissime Religionis Nostræ centro, longo terrarum, marisque tractu sejunguntur, ac si quid in his compertum a Nobis esset, quod spirituali regimini, æternæque fidelium salutis bene, prospere, ac feliciter evenerit, illud, quantum cum Domino possumus, præstare maturamus. Cum itaque Venerabiles Fratres Archiepiscopus Quebecensis, atque alii ejusdem Ecclesiasticæ Provinciæ Præsules, quintam Provinciam in Synodum consistentes, ad Nos retulerint, admodum in rem fidelium fore, si quasdam territorii partes a diocesis, quæ latissime patent, Sancti Hyacinthi, Trifluviana, et Quebecensi sejungeremus, novamque ex eis Diocesium efformarem, proprio Antistiti committendam, et cujus in oppido "Sherbrookensi" Episcopalis foret Sedes; Nos, ut primum data facultas est, cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpositis rem communicavimus, omnibusque rationum momentis, quæ a dictis Præsulibus adducuntur, sedulo, attenteque perpensis, ad propositam novæ istius Diocesis erectionem deveniendum existimavimus. Quæ cum ita sint, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore præsentium, hæc quæ infrascripta sunt, volumus, decernimus, et constituimus.

Primo. Illam ab Diocesi Sancti Hyacinthi partem





**IMAGE EVALUATION  
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic  
Sciences  
Corporation**

23 WEST MAIN STREET  
WEBSTER, N.Y. 14580  
(716) 872-4503

1.8  
2.0  
2.2  
2.5  
2.8  
3.2  
3.6  
4.0  
4.5  
5.0  
5.6  
6.3  
7.1  
8.0  
9.0  
10.0  
11.2  
12.5  
14.0  
16.0  
18.0  
20.0  
22.5  
25.0  
28.0  
31.5  
36.0  
40.0  
45.0  
50.0  
56.0  
63.0  
71.0  
80.0  
90.0  
100.0

50  
56  
63  
71  
80  
90  
100  
112  
125  
140  
160  
180  
200  
225  
250  
280  
315  
360  
400  
450  
500  
560  
630  
710  
800  
900  
1000

sejungimus, quæ in locis " Cantons " seu " Townships " vulgo nuncupatis, spectet in Orientem Solem et ex his, qui sequuntur proprio nomine designatis " Cantons " sive " Townships " constat, nimirum " Cantons " seu " Townships " qui vocantur Stukeley, Ely, Melbourne, Brompton, Oxford, Ascot, Eaton, Clifton, Compton, Hatley, Magog, Bolton, Sutton, Potton, Stanstead, Barnston, Barford et Hereford " exceptis tamen sequentibus eorundem " Cantons " seu " Townships " partibus, quæ intra Sancti Hyacinthi Diœcesis fines inclusæ remanebunt, scilicet primo ; parte quadam " Cantons " seu " Townships " " Ely " qui nominatur Parœciæ Sancti Joannis Baptistæ a Roxton terminis circumsepta ; secundo ; parte quadam " Cantons " seu " Townships " " Stukeley " intra terminos sita Parœciæ Sancti Bernardini a Waterloo ; tertio ; denique parte quadam " Cantons " seu " Townships " " Bolton " quæ intra limites Parœciæ Sancti Eduardi mox erigendæ inveniatur, adeo ut cujusvis dictarum trium Parœciarum minor pars, majorem sequatur.

Secundo. Porro a Trifluviana Diœcesi illam partem sejungimus, quæ clauditur finibus districtus Sancti Francisci, nimirum loca " Townships " quæ nominantur " Shipton, Cleveland, Windsor, Stoke, Wotton, Ham, Dudswell, Weedon, Garthby, Stratford, Westbury, Newport, Aukland, Bury, Lingwick, Winslow, Whitton, Emberton, Marston, Hampden, Ditton, Chesham, Clinton et Woburn."

Tertio. Tandem a Quebecensi Diœcesi loca sejungimus " Townships " nuncupata " Wolfstown " excepta ea parte quæ ad parœciam pertinet S. Ferdinandi ; item " Spalding et Ditchfield " nec non partem loci seu " Townships " cui nomen " Ireland." Ex his, quas

descripsimus, territorii partibus, volumus, mandamus, edicimus ut nova constet diœcesis, cui "Sherbrookensis" nomen fiet, sitque Episcopalis Sedes in oppido "Sherbrooke" ubi Ecclesia reperitur, quæ pro Cathedrali assumatur; tandem suffraganea esto Archiepiscopi Quebecensis. Decernimus autem præsentibus Nostras Literas firmas, validas, et efficaces fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, Benedicti XIV Prædeces. Nostri recol. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non speciali licet, ac individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Augusti MDCCCLXXIV, Pontificatus Nostri anno vicesimo nono.

L. † S.

F. CARD. ASQUINIUS.

---

## DECRETUM

APPROBATIONIS QUINTÆ SYNODI PROVINCIALIS  
QUEBECENSIS.

Vix ac per temporum adjuncta eis licuit, Archiepiscopus et Episcopi Provinciæ Quebecensis in Canada,

de Synodo Provinciali quæ anno 1871 celebrari non potuerat cogenda curam susceperunt, rati jure optimo canonicarum præscriptionum observantiam hac super re plurimum conferre tum fidei integritati conservandæ tum populorum saluti promovendæ, nihilque ea esse accommodatius, ut ecclesiastica disciplina aut collapsa restauretur, aut restaurata in dies florescat. Huc amussim spectantes laudati sacrorum antistites, mense Maio superioris anni in Concilium, quod ab instituta Quebecensi Provincia quintum est, de more coiverunt. Habitum illud fuit in ipsa Metropolitana Ecclesia, præsidente R. P. D. Elzearo-Alexandro Taschereau Quebecensi Archiepo ac tribus solemnibus sessionibus absolutum. Cum autem ejus Acta et Decreta iidem Præsules S. Sedis judicio, eo quo par erat, obsequio subjecissent, S. hæc Congregatio Christiano Nomini propagando præposita in generalibus Comitibus diei 10 nuper elapsi mensis Augusti referente Emo ac Rmo D. Raphaelè S. R. E. Card. Monaco La Valletta ea ad trutinam revocavit. Porro Emi Patres post maturam deliberationem, nonnullis adhibitis modificationibus, quæ in adjecta Instructione continentur, cuncta lata decreta plane recognoverunt, in cujus recognitionis testimonium præsens decretum edi mandarunt.

Hanc autem S. Congregatio sententiam SSmo Dno Nro Pio Divina Providentia PP. IX ab infrascripto Secretario in audientia diei 23 ejusdem mensis Augusti relatum Sanctitas Sua benigne probare dignata est, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romæ ex æd. S. Congnis de Propag. Fide die 1 Septembris 1874.

L. ✠ S.

ALEX. CARD. FRANCHI, Præf.  
JOANNES SIMEONI, Secretarius.

## DECRETUM.

## DE REGIMINE ECCLESiarUM VACANTIUM.

Inter alia Decreta, quæ in quinta Synodo Provinciali Quebecensi prodierunt, Decretum XVI eo spectabat ut regimini Ecclesiarum vacantium, donec proprio Pastore viduatæ permaneant, consuleretur. Cum enim ob multiplices variasque circumstantias in ea Provincia, una excepta diœcesi Marianopolitana, Capitula Cathedralia ad tramites literarum Aplicarum diei 16 Julii 1852, nondum erigi, prout erat in votis, potuerint, laudatis Præsulibus visum est, opportunam concinnare methodum, qua providæ ea super re dispositiones a S. M. Bened. XIV per Breve inc. *Quam ex sublimi* diei 8 Augusti 1775 sancitæ, Diœcesibus Quebecensis Provinciæ accommodarentur. Jam vero Emi ac Rmi Patres S. Concilii Christiano Nomini propagando præpositi, paucis quibusdam modificationibus inductis, censuerunt supplicandum SSmo pro ejusdem XVI Decreti approbatione, quod iisdem modificationibus peractis ita se habet... (*vide Decretum XVI.*)

Cum autem Emorum Patrum sententia ab infrascripto Secretario in audientia diei 23 Augusti 1874 SSmo Dno relata fuisset, Sanctitas Sua eandem confirmare dignata est, jussitque memoratum Decretum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, donec aliter a S. Sede provideatur.

Contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Dat. Romæ ex æd. S. C. de P. Fide die 1 Septembris 1874.

ALEXANDER CARDINALIS FRANCHI, Præf.

JOANNES SIMEONI, Secretarius.

## DECRETUM.

## INDULGENTIÆ CONCESSÆ SOCIETATIBUS A TEMPERANTIA.

Cum Archiepiscopus et Episcopi Provinciæ Quebecensis in V Provinciali Synodo congregati, ut fideles a lethali ebrietatis vitio deterreantur, atque ad colendam temperantiæ virtutem excitentur, varias quæ a *Temperantia* amussim nomen mutuantur, societates fovere peropportunum duxissent, supplicem libellum ad Summum Pontificem miserunt, ut eisdem Societatibus Indulgentias aliquas largiri dignaretur. Porro SSmus Dominus Noster de consilio Emorum PP. S. Congregationis de Propaganda Fide, referente me infrascripto ejusdem S. Concilii Pro-Secretario, prædictis Societatibus, dummodo nullum in eis fiat votum aut juramentum, et promissio abstinendi a vino aliisque potionibus inebriantibus ita emittatur ut ejus violatio non sit peccatum, easdem indulgentias perpetuis futuris temporibus valituris ac fidelibus quoque defunctis applicabiles benigne concessit, quas Societati SSmæ Crucis per rescriptum diei 27 Junii 1852 impertitus est, videlicet :

1. Plenariam die receptionis in præfatam Confraternitatem, dummodo iidem vere pœnitentes ac confessi, ac S. Eucharistia refecti Ecclesiam Sodalitii loci visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium oraverint.

2. Plenariam die festo titulari, servatis conditionibus sub n. 1° expressis.

3. Plenariam in art. mortis, dummodo rite, ut supra, dispositi SS. Jesu et Mariæ nomina, saltem corde, devote invocaverint.

4. Indulgentias 7 annorum et totidem quadragenarum pro quatuor festis in anno ab Ordinario semel tantum

designandis, dummodo Ecclesiam Sodalitii, ut supra, visitaverint.

5. Indulgentiam 60 dierum pro singulis operibus piis.

6. Indulgentiam 300 dierum ab iis Sodalibus lucrandam, qui ebrietati deditos ab hujusmodi vitio averterint, aut eos promoverint, ut pio Sodalitio adscribantur, et obligationes illius firme et sancte observent.

7. Indultum, ut singulæ Missæ, quæ in Ecclesia Sodalitii loci pro defunctis Sodalibus offeruntur, suffragentur perinde ac si in altari privilegiato celebrentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex æd. S. Congnis de Propaganda Fide die 8 Aprilis 1875.

ALEXANDER CARD. FRANCHI,

L. † S.

Præf.

J -B. AGNOZZI,

Pro-Secret.

---

INDULTUM

AD DECENNIUM EXTENDENS TEMPUS STATUTUM AD  
COMMUNIONEM PASCHALEM PERAGENDAM.

Ex Audientia SSmi diei 28 Martii 1875.

SSmus D. N. Pius Divina Provida PP. IX, referente me infrpto S. C. de Propaganda Fide Pro-Secreto benigne indulisit ad decennium de consilio EEm. PP. ejusdem S. Congnis, ut Præsules Provinciæ Ecclicæ Quebecensis extendere valeant tempus ad satisfaciendum præcepto

Communione paschalis in præfata provincia a die Cinerum ad festum SS. Trinitatis inclusive.

Dat. Romæ ex æd. dic. S. C., die et anno prædictis.  
Gratis sine ulla solutione quovis titulo.

L. ✠ S.

J.-B. AGNOZZI,  
Pro-Secret.

---

AN LICEAT PARENTIBUS LIBEROS SUOS ACATHOLICIS  
SCHOLIS INSTITUENDOS COMMITTERE.

Instructio S. Officii sub Fer. IV,  
17 Januarii 1866.

Porro præcipuum et capitale dubium quod proponebatur, visum est : An liceat parentibus liberos suos hujusmodi scholis instituendos committere ; quo in excutiendo vehementer Emos Patres commoverunt tum intrinsecum rei periculum, tum ea quæ ad eos ab ipsis Episcopis relata sunt. Itaque omni ope curandum esse censuerunt, ut omnibus patribusfamilias persuadeatur se nihil pejus de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam ut natos suos in extremam hanc aleam immittant ; cum enim puerilis ætas pro sua ipsa ingenuitate ac simplicitate vafrorum hominum seductionibus nisi diligenter custodiatur, tota patet, tum vero maxime, si eis implicetur rerum adjunctis, in quibus eam versari in ejusmodi scholis necesse est. Auctoritas quippe præceptorum, quæ maxime in adolescentium animis valet ad ea omnia approbanda, quæ in eis vident, ex eisve

audiunt, naturali quadam vi eos rapit, quo fit ut illorum erga religionem indifferentiæ errores ipsi hæreticales, catholicæque religionis contemptus, venenato quodam alitu tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis penitus corrumpat. Cui pesti haud minus lethifera accedit hæreticorum condiscipulorum contagio, quorum corrupti mores, indita ex sectario dogmate indocilitas quæque pueriles animos vehementissime movet, in catholicam fidem atque Ecclesiæ præcepta mordax dicacitas, si quid incorruptum, aut firmum in ipsis manserit, labefactent ac perdant necesse est. Quæ sane per se gravissima, graviorem etiam in molem assurgere Emi Patres perspiciebant ea considerantes, quæ ab Episcopis aperiebantur, eo consilio ejusmodi scholas instituendas esse, ut catholica religio ex istis regionibus extirpetur; eo enim præfixo scopo nihil industriæ, nihil fraudum, nihil adversarum virium prætermissum iri ad concreditam ipsis juventutem pervertendam nemo non videt.

Neque vero illud quispiam sibi persuadeat, immunes ab hac pernicie scholas illas fore, quæ materiam a religione discretam atque profanam habent. Etenim præter quam quod eadem in illis ab hæreticorum sive præceptorum sive condiscipulorum vitæ ratione ac familiaritate scandala impendent, novus profecto in humanis rebus sit oportet, qui non sentiat etiam in ejusmodi scholis aditum hæreticis magistris undequaque aperiri, ut puerilem simplicitatem opportune et importune, data et non data occasione circumveniat et in laqueos inducat, cujus quo magis inopinæ atque occultæ sunt artes, eo magis sunt ad perdendum efficaces. Itaque non tantum quæ sacris sed etiam quæ profanis disciplinis, non tantum quæ metaphysicæ aut ethicæ, sed etiam

quæ mathesi, aut physicæ aut historiæ, aut humanis literis, aut linguis aut artibus quibusvis tradendis institutæ sunt, periculi aut exitii plenas ejusmodi scholas esse nulla ratione est dubitandum.

Quæ sane cum ita se habere apprime nossent Emi Patres non illud tamen eos præteribat, peculiaria quædam rerum adjuncta id efficere posse, ut easdem adire aliquando cogat necessitas; ubi scilicet ea tyrannide opprimantur Catholici, ut ad scholas proprias, id est Catholicas adeundas nulla jam illis aut pateat via aut suppetat facultas ideoque in ea sint optione, ut vel necessaria domui suæ studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquunt, aut schola mixtas utut invitissimi subeant. At vero licet id Patribus persuaserit non posse absoluto atque indefinito judicio aditum ad scholas mixtas omnino improbari remque potius singulorum Episcoporum prudenti arbitrio religiosæque conscientiæ esse relinquentiam, nihilominus, ne in re gravissima quisque sese decipiat, duo voluerunt serio moneri, quæ, cum agitur de subeunda occasione proxima peccandi, quæ necessaria sit, omnes monent theologi; primo ut videant Episcopi, ne fucata aut proprie talis non sit ea quæ objicitur necessitas; secundo ut ab iis ad quorum officium id spectat, remedia omnia studiose adhibeantur, quæ ad avertendum perversionis periculum efficacia sint. Et ad primum quod attinet, animadverterunt frustra quempiam necessitatem causari, si ad alias scholas, quæ sint mære catholicæ, licet in extraneis regionibus sitæ, possint liberos suos sine notabili damno mittere. Ad alterum vero quod pertinet, moneri voluerunt plurimum ad hanc rem conferre, planeque esse necessariam unanimum sinceramque concordiam sive laicorum cum clero,

sive minoris cleri cum Episcopis, sive omnium inter se, ut dum Episcopi sive conjuncti de opportunis adhibendis remediis in synodis provincialibus agunt, sive singuli gregem suum, qua voce, qua literis pastoralibus instruant et confirmant, a supremis vero Reipublicæ moderatoribus sive per se, sive gravibus interpositis viris, ut meliorem in dies rerum ordinem et conditiones æquiores impetrent, constanter studioseque curant dum clerus minor, ac præsertim parochi in catechesibus ac præcipue in iis exponendis veritatibus sive fidei sive morum, quæ magis ab incredulis atque heterodoxis impetuntur, diligentem operam ponunt, expositamque tot periculis juventutem magis magisque qua frequente sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem communire student, et ad religionem firmiter tenendam excitant, in omnibus vero justum ac vehemens desiderium, ut ejusmodi religionis, ac pietatis offendicula, cujusmodi certe scholæ mixtæ sunt, removeantur, prudenter quidem sed assidue alunt, dum singuli genitores, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilant, ac vel ipsi per se vel si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogant, libros iisdem traditos recognoscunt, et si quid noxium in illis deprehenderint, antidota præbent, a familiaritate vero et consortio hæreticorum discipulorum omnino arcant et prohibent, omnium simul hac ratione conjunctæ, et consociatæ vires facilius efficaciusque adolescentium salutem tueantur omnemque pestem ab eorum animis avertant. Itaque ad dictum dubium.—An liceat parentibus liberos suos hujusmodi scholis instituendos committere—responderunt:—Generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus, judicio et conscientiæ Ordinarii id esse relinquendum, cujus tamen erit officii, diligenter curare, ut non modo

a se et a parochis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur, simulque inniti apud magistratus ac præsides, ne vis inferatur conscientiæ catholicorum adhibendo libros qui religioni catholiciæ sint infensi, ac denique assidue et instanter monere et hortari omnes, atque eos præsertim, quibus facultas est, ut liberos suos in alias [regiones mittant, ubi catholice educantur.

---

## DECRETUM

ELEVANS FESTUM SANCTÆ ANNÆ AD RITUM DUPLICIS  
SECUNDÆ CLASSIS.

*Provinciae Ecclesiasticæ Quebecen.*

Rmi Domini Archiepiscopus et Episcopi Provinciae Ecclesiasticæ Quebecen. in Concilio coadunati, attenta devotione quæ in propria Ecclesiastica Provincia viget, tum inter oriundos ex Europa, tum inter sylvicolas, erga Sanctam Annam Beatæ Mariæ Virginis Matrem, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX humillime postulaverunt ut Festum ejusdem Sanctæ amodo in eorumdem Kalendariis inscribi valeat sub ritu duplicis secundæ Classis et cum Octava, addito privilegio ipsius Festi solemnitatem ad proximiorum Dominicam transferendi, juxta normam jam statutam pro aliis solemnitatibus in eadem Provincia. Sanctitas porro Sua hæc vota ab infrascripto Substituto Secretariæ Sacrorum Rituum Congregationis relata clementer excipiens, annuere dignata est pro elevatione Festi Sanctæ Annæ ad ritum duplicis secundæ Classis, attamen sine Octava; addito privilegio pro celebratione Solemnitatis memorati Festi

ad tramitem aliarum similium concessionum ab Apostolica Sede factarum ; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Augusti 1874.

L. ✠ S.

C. Epus Ostien. et Velitern. CARD. PATRIZI,

S. R. C. Præf.

Pro R. P. D. DOMINICO BARTOLINI,

Secrio.

JOSEPHUS CICCOLINI,

Subtus.

---

## DECRETUM

QUO LOCUS DICTUS "ADSTOCK" UNITUR DIOECESI  
QUEBECENSI.

Cum Archiepiscopus et Episcopi Ecclesiasticæ Provinciæ Quebecensis in V<sup>a</sup> Provinciali Synodo coadunati enixe postulassent, ut locus (*Township*) dictus *Adstock* ad diocesim Trifluvianam pertinens Quebecensi diocesi uniretur, intra cujus civiles limites juxta nuperrimam locorum circumscriptionem ac denominationem a civili auctoritate inductam, inclusus undequaque reperitur, cumque Emi ac Rmi Patres S. Concilii Christiano Nomini Propagando, hujusmodi precibus in generali conventu die 10<sup>a</sup> mensis Augusti 1874 rite perpensis, id pro spirituali illius loci administratione utilius fore

perspexissent, supplicandum censuerunt SSmo quatenus prædictum locum vulgo *Adstock* nuncupatum a diocesi Trifluviana distrahere atque Quebecensi diocesi unire dignaretur.

Quæ quidem S. Congnis sententia cum ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 prædictorum mensis et anni SSmo Dno Nro Pio Div. Prov. PP. IX relatâ fuisset, Sanctitas Sua eam benigne probavit atque præsens Decretum hac super re expediri mandavit.

Dat. Romæ ex æd. S. C. de P. Fide die 27 Augusti 1874.

ALEX. CARD. FRANCHI,

L. ✠ S.

Præf.

JOANNES SIMEONI,

Secretarius.

---

## DECRETUM

QUO PARS VALLIS FLUMINIS S. MAURITII UNITUR  
DIOCESI TRIFLUVIANÆ.

Archiepiscopus et Episcopi Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis in V<sup>a</sup> Provinciali Synodo coadunati enixe postularunt, ut a diocesi Quebecensi distraheretur atque Trifluvianæ uniretur ea pars vallis fluminis Sancti Mauritii, quæ sita est in Comitatu vulgo dicto *de Portneuf*, ad Septentrionem lineæ, quæ a Comitatu *Champlain* procedit ad Comitatum dictum *Québec* hoc modo: 1° limes septentrionalis Dominii (*Seigneurie*) vulgo *Grondines*; 2° limes septentrionalis loci (*Township*) vulgo *Chavigny*; 3° pars limitis occidentalis Dominii

vulgo *Perthuis*, et deinde limes septentrionalis ejusdem Domini qui sese protendit usque dum intersecat flumen *Batiscan*; 4° flumen *Batiscan* et ramus ejus præcipuus septentrionalis usque dum intersecat litem inter Comitatum *Portneuf* et Comitatum *Québec*. Porro cum Emi ac Rmi Patres S. Congnis de Propaganda Fide in generali conventu habito die 10a mensis Augusti 1874 hujusmodi preces necnon rationes quibus ipsæ innitebantur, ad examen revocassent, cumque perspexissent fidelibus in præfato territorio degentibus faciliorem ad Trifluvianam quam ad Quebecensem diocesim accessum patere, censuerunt supplicandum SSmo, ut idem territorium a Quebecensi diocesi distrahere, atque Trifluvianæ tribuere dignaretur. Quam S. Congnis sententiam ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 prædictorum mensis et anni SSmo Dno Nro Pio Div. Prov. PP. IX relata, Sanctitas Sua benigne probavit, atque præsens Decretum ea de re expediri jussit.

Dat. Romæ ex æd. S. C. de P. Fide die 27 Augusti 1874.

ALEX. CARD. FRANCHI,

L. ✠ S.

Præf.

JOANNES SIMEONI,

Secretarius.

## EPISTOLA

REVM I ARCHIEPISCOPI, CIRCA NOVAM DIOECESIM  
SHERBROOKENSEM.

*Emo Dno Alexandro Card. Barnabo, S. C. de Propa-  
ganda Fide Præfecto.*

Quebeci, die 31a Octobris 1873.

EMINENTISSIME DOMINE,

In petitione diei 26 Maii 1873 pro erectione novæ diœcesis *Sherbrooke*, Patres Concilii Quebecensis huic assignandam describunt IIIo., illam partem Archidiœcesis Quebecensis, scilicet loca (*Townships*) nuncupata *Wolfstown, &c., &c.*

Porro ex oblivione factum est ut non fuerit excepta pars quædam pertinens ad parochiam Sti Ferdinandi, quæ parochia Archidiœcesi Quebecensi pertinere non cessabit.

Igitur, ne in posterum oriantur difficultates circa jurisdictionem hujus partis, postulo humiliter ut post verbum *Wolfstown* in brevi erectionis, inseratur exceptio hoc modo:..... *Wolfstown*, excepta ea parte quæ ad parochiam Sti Ferdinandi pertinet.....

Eminentie Vestre,

Addictissimus servus,

✠ E.-A., Archipus Quebecer.

---

## SS. D. N. PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IX

CONSTITUTIO QUA LIMITANTUR CENSURÆ  
 ECCLESIASTICÆ LATÆ  
 SENTENTIÆ. (a)

PIUS EPISCOPUS

*Servus servorum Dei,*

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ ipsoque facto

(a) 1<sup>o</sup> Hic agitur de solis censuris *latæ sententiæ*; 2<sup>o</sup> Cum scopus Constitutionis sit *limitare* dictas censuras, in dubio standum pro benigna interpretatione; 3<sup>o</sup> Interpretandæ sunt illæ censuræ juxta veteres canones, a quibus desumuntur, nisi per hanc Constitutionem temperatæ fuerint; 4<sup>o</sup> Hic quadruplex censurarum distinguitur genus: *Primum* reservatur *speciali modo* et absolvi non potest nisi expressa data fuerit facultas ab hoc genere absolventi; eadem sunt ac in *Bulla Cœna*; *Secundum* reservatur etiam Summo Pontifici et ejus absolutio exprimitur in facultate simplici absolventi a *casibus Romano Pontifici reservatis*; *Tertium* reservatur Episcopis; *Quartum* nulli reservatur; 5<sup>o</sup> Est aliud genus quod *specialissime reservatum* vocari posset, scilicet excommunicatio quam ipso facto incurrit absolvens complicem in turpi: facultas enim ab ea excommunicatione absolventi requirit specificam mentionem, nec censetur contenta in indulto *de casibus speciali modo reservatis*. (S. U. Inquisitio, 4 Aprilis 1871.)

incurrendæ, ad incolunitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendam, sancte per singulas ætates indictæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei, Generalibus, Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ, hactenus impositæ sunt, non nisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant: simul declarantes, easdem non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

*Excommunicationes* LATÆ SENTENTIÆ speciali modo Romano Pontifici reservatæ.

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

## I

Omnes a Christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores. (b)

## II

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorundem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodo-libet defendentes. (c)

## III

Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

## IV

Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Ro-

(b) Inter apostatas a fide Christiana adnumerandi sunt *liberi cogitatores, increduli, revelationem respicientes*. Eis credentes sunt *his externe adherentes, eorum sequaces*.

(c) Censura in regula X Indicis lata contra legentes libros falsæ doctrine suspectos, non amplius viget, siquidem in præsentì Constitutione, aut in Concilio Tridentino non invenitur.

manorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, nec non eos quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

## V

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, captives, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis diocesis, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

## VI

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes. (d)

## VII

Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones : item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ. (e)

(d) Variæ classes disjunctive sunt sumendæ.

(e) *Cogentes...* non autem ipsi judices plectuntur. *Edentes leges...* non autem approbantes aut defendentes.

In hoc articulo comprehenduntur ii qui sacerdotes coram iudicibus laicis citari procurant ad rationem reddendam de dictis aut factis in exercitio ministerii sacri.

## VIII

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta ; eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes ; aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios, lædentes vel perterrefacientes.

## IX

Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum. Nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.

## X

Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exorbitura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem. (f)

## XI

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

(f) Vide notam generalem 5. Est casus *specialissime* reservatus.

## XII

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia ; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis ; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari ; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque ordinis, congregationis, societatis, et instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ, innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint. (g)

---

*Excommunicationes LATÆ SENTENTIÆ Romano Pontifici reservatæ.*

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

(g) 1<sup>o</sup> Facultates a S. C. de Propaganda Fide concessæ ante promulgationem hujus Constitutionis manent in suo robore, tempore perdurante in indultis præfinito ; 2<sup>o</sup> Absolvere præsumentes a casibus *speciali modo reservatis*, absque debita facultate, incurrunt excommunicationem Papæ simpliciter, non autem speciali modo reservatam.

## I

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ ; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicitis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 julii 1745, *Ubi primum* 2 junii 1746, *Ad eradicandum* 28 septembris 1746. (h)

## II

Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut episcopus aut alius absolvat. (i)

## III

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem præbentes ; nec non de industria spectantes, illudque permittentes vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuseumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. (j)

(h) In posteriori parte non fulminatur censura contra inquirentes a pœnitente nomen complicitis, sed contra *docentes* vel *defendentes* tanquam licitam hanc praxim, quam Ben. XIV, in Constitutione *In suprema*, 7 julii 1745, reprobavit tanquam *scandalosam et perniciosam*.

(i) Casus præcipui a quibus Episcopus vel alius absolvere potest sunt : 1<sup>o</sup> percussio levis; etiam publica ; 2<sup>o</sup> percussio occulta ; 3<sup>o</sup> percussio a muliere facta, etiam publice ; 4<sup>o</sup> percussio mediocris, inter clericos in communi viventes ; 5<sup>o</sup> gubernii officialis qui in turba arcenda clericum mediocriter percussit ; 6<sup>o</sup> percussio ab impubere facta.

(j) Decretum Trid. sess. XXV. c. 19, partim extensum, partim emollitum est : 1<sup>o</sup> Extensa est censura ad *provocantes*, duello licet non secuto, ad *permittentes*, item duello licet non secuto et ad *non prohibentes* ; 2<sup>o</sup> emollita est quia non amplius plectuntur *spectatores* quicumque, sed tantum de *industria spectantes*, non casu sed consulto concurrentes.

## IV

Nomen dantes sectæ *Massonica* aut *Carbonaria*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam. seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coriphæos ac duces non denunciantes donec non denunciaverint. (k)

## V

Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

## VI

Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V, in Const. *Decori* præscriptam. (l)

## VII

Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.

## VIII

Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque et eorum complices.

(k) Die 12 Januarii 1870, declaratum fuit societatem *Fenianorum* comprehendendi in hoc articulo.

(l) Hic agitur tantum de violatione clausuræ *papalis*; in hac regione non existit nisi clausura *episcopalis*, ejus violatio subjacet penis quas imponit et sibi reservat Episcopus.

## IX

Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, ejuscumque sint dignitatis.

## X

Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem.

## XI

Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur in Constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2 januarii 1569.

## XII

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

## XIII

Omnes qui excommunicatione mulentur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos* quarto kalendas aprilis 1567; Innocentii IX, *Quæ ab hac sede*, pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII, *Ad Romani pontificis curam*, 26 junii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

## XIV

Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ Uctionis aut Eu-

charistiæ per viaticum ministrare absque parochi licentia.

## XV

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris cœmeteriis sive catacumbis urbis Romanæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

## XVI

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

## XVII

Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

*Excommunicationes LATÆ SENTENTIÆ Episcopis sive Ordinariis reservatæ. (m)*

Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus :

(m) Hic agitur solummodo de censuris latæ sententiæ quarum absolutio Episcopis reservatur *de jure communi*. Sunt alii casus reservati *de jure divinis* vel *provinciali*, de quibus consulenda est localis disciplina et præsertim Decretum XIII Concilii Quebecensis Quinti *De casibus reservatis*.

Ex. Trid. Sess. XXIV. c. 6. datur facultas Episcopis absolvendi a casibus papalibus *occultis*, sed hæc facultas non sese extendit ad casus *speciali modo reservatos*.

Quando vero agitur de personis quæ Romam petere nequeant, prout sunt senes, impuberes, infirmi, captivi, pauperes, mulieres, Episcopi possunt jure communi absolvere etiam a casibus *speciali modo reservatis*, excepta tamen absoluteione ejus qui complicem absolvit.

## I

Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

## II

Procurantes abortum, effectu sequuto. (n)

## III

Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

*Excommunicationes LATÆ SENTENTIÆ nemini reservatæ.*

Excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ subjacere declaramus :

## I

Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorie aut nominatim excommunicatos vel interdictos. (o)

## II

Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve sacri

(n) *Procurantes*..... sive ipsa femina, sive alius, per se, per interpositas personas..... fetu animato vel non..... quocumque modo, percussionibus, veneno, medicamentis, nimis oneribus vel laboribus.....

(o) *Soli mandantes seu cogentes* plectuntur.

Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

### III

Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitosæ*, de Reb. ecc. non alienandis. (p)

### IV

Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a prædecess. nostris Gregorio XV, Constit. *Universi* 20 augusti 1622; et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum pœnitentiæ* 1 junii 1741. (q)

Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; (r) excepta anathematis pœna in decreto Sess. IV *de Editione et usu sacro-*

(p) Hæc censura a Trid. Sess. XXII. c. 11, Papæ reservata, nunc nemini reservatur.

(q) Hæc denunciationes omitti non possunt sine culpa gravi. Sacerdotes, qui de hac obligatione non monent pœnitentes, puniri debent. Mensis ad denunciandum utilis incipit a die qua certo innotuerit *obligatio denunciandi infra mensem*. Pœnitens potest absolvi si spondeat se quamprimum denuntiaturum.

(r) 1<sup>o</sup> Sess. XXII. c. 11. Papæ reservatur (facta prius integra restitutione) excommunicatio lata contra usurpantes, vel in proprios usus convertentes bona, census, jura, fructus, emolumenta...ecclesie vel beneficii... vel percipi impediens ab iis ad quos pertinent.

2<sup>o</sup> Sess. XXIV. c. 1. Parochus vel sacerdos qui sine requisita licentia alienos sponso matrimonio conjungit, vel benedicit, ipso jure suspenditur donec absolvatur ab Ordinario parochi qui matrimonio interesse debebat.

*rum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.

---

*Suspensiones LATÆ SENTENTIÆ Summo Pontifici reser-  
vatae.*

## I

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum alique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

## II

Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

## III

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

## IV

Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

## V

Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

## VI

Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eundem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

## VII

Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe Roma commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postea quam in prædicto examine rejecti fuerint ; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis vicarium ; vel non præmissis ante

ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum.

---

*Interdicta LATÆ SENTENTIÆ reservata.*

I

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum concilium appellantia.

II

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo

vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum Regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtum, locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Cæterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus, aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus comprehensis, vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam (sess. xxiv. cap. vi. *de Reform.*) in quibuscumque censuris Apostolicæ

Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in præmissis per quocumque iudices Ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei

ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS Card. MATTEI, *pro-datarius*.

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

Edict  
Acta.

Decret

# INDEX ET ORDO RERUM.

## V CONCILII QUEBECENSIS.

Edictum convocationis .....	3
Acta .....	7

### DECRETA:

Decretum I. De aperienda Synodo.....	41
“ II. De modo vivendi in Concilio.....	42
“ III. De professione Fidei.....	44
“ IV. De Sacratissimo Cordi Jesu totius Provinciæ Quebecensis consecratione.....	<i>ibid.</i>
“ V. De invocatione et veneratione B. M. V. Imma- culatæ.....	46
“ VI. De Sacrosancto Concilio Vaticano et de Ro- mani Pontificis Infallibili Magisterio.....	47
“ VII. De obedientia quam sacerdotes præstare de- bent suis præsulibus.....	48
“ VIII. Ut clerici de bono nomine curam habeant.	49
“ IX. De vocatione ad clericalem statum.....	50
“ X. Ne clerici exercitio Medicinæ sese immisceant	<i>ibid.</i>
“ XI. De clericis.....	52
“ XII. De catechesibus.....	<i>ibid.</i>
“ XIII. De casibus reservatis et eorum absolutione.	53
“ XIV. De perjurio reservando.....	56
“ XV. De Sacris Oleis.....	57
“ XVI. De sede episcopali vacante.....	58
“ XVII. De luxu.....	60
“ XVIII. De electionibus politicis et administra- tivis .....	62
“ XIX. De temperantia.....	63
“ XX. De scholis acatholicis.....	<i>ibid.</i>

Decretum XXI. De iis qui, ad præstandum matrimonialem consensum, coram acatholico ministro se sistunt .....	64
“ XXII. De scriptoribus catholicis.....	65
“ XXIII. De liberalismo catholico.....	70
“ XXIV. De libertate Ecclesiæ ejusque cum potes- tate civili relationibus.....	72
“ XXV. De publicatione Decretorum hujus Synodi Provincialis .....	73
“ XXVI. De indictione futuri Concilii Provincialis.	74
“ XXVII. De fine Concilii..... <i>ibid.</i>	
“ XXVIII. De subscriptione.....	75

## APPENDIX.

Epistola Patrum Concilii Quebecensis V ad Summum Ponti- ficem.....	77
Summi Pontificis responsio.....	81
Epistola ad Archiepiscopos et Episcopos Germaniæ et Hel- vetiæ.....	83
Responsio Revmi DD. Archiepiscopi Coloniensis.....	85
Epistola ad Episcopos Sancti Joannis et Chathamensem in Neo-Brunswickio.....	86
Responsio Revmi DD. Episcopi Sancti Joannis.....	88
Responsio Revmi DD. Episcopi Chathamensis .....	89
Breve erectionis Diœcesis Sherbrookensis .....	91
Decretum approbationis Quintæ Synodi Provincialis Que- becensis.....	93
Decretum de regimine Ecclesiarum vacantium.....	95
Decretum quo conceduntur indulgentiæ Societatibus a <i>Tem- perantia</i> .....	96
Indultum ad decennium extendens tempus statutum ad Com- munionem paschalem peragendam.....	97
An liceat parentibus liberos suos acatholicis scholis insti- tuendos committere.....	98

Decretu

Decret

Decret

Episto

Const

Exco

Exco

Exco

Exco

Susp

Intro

Pa

em	Decretum elevans Festum Sanctæ Annæ ad ritum duplicis	
se	secundæ Classis.....	102
64	Decretum quo locus dictus <i>Adstock</i> unitur diœcesi quebecensi.	103
65	Decretum quo pars vallis fluminis S. Mauritii unitur diœcesi	
70	Trifluvianæ.....	104
es-	Epistōla Revmi Archiepiscopi, circa novam diœcesim Sher-	
72	brookensem.....	106
odi	Constitutio SS. D. N. Pii PP. IX qua limitantur censura	
73	ecclesiasticæ <i>latae sententiæ</i> .....	107
lis. 74	Excommunicationes <i>latae sententiæ</i> speciali modo Romano	
... <i>ibid.</i>	Pontifici reservatæ.....	109
75	Excommunicationes <i>latae sententiæ</i> Romano Pontifici reser-	
	vatæ.....	112
	Excommunicationes <i>latae sententiæ</i> Episcopis sive Ordinariis	
	reservatæ.....	116
	Excommunicationes <i>latae sententiæ</i> nemini reservatæ.....	117
	Suspensiones <i>latae sententiæ</i> Summo Pontifici reservatæ.....	119
	Interdicta <i>latae sententiæ</i> reservata.....	121

---

ERRATUM.

Pag. 100, lineis 13 et 14, *loco schola, lege scholas.*

